Tragici, etsi *Sophocles* et *Euripides* *Homerum* ita sequantur, ut inveniatur apud illum εἰν 'Αιδου δόμοις (Ant. 1241), 'Αιδα δόμων (Trach. 120), ὦ δῶμ' 'Αΐδου καὶ Περσεφόνης (Elect. 110), apud hunc εἰς 'Αιδου δόμους (Alc. 73, Ion. 1276), κἀν 'Αιδου δόμοις (Alc. 637, Elect. 1144), 'Αιδου δ' ἐν δόμοις (Ion. 958), εἰν 'Αΐδα δόμοισιν (Alc. 450), 'Αΐδα δόμοις (Herc. fur. 116), τὸν 'Αιδα δόμον (Heracl. 912), δώματ' εἰς 'Αιδου (Herc. fur. 609), 'Αιδα θαλάμους (Hecub. 479), 'Αιδου τ' ἐρεμνῶν .... μυχῶν (Heracl. 218), ἐξ 'Αΐδα τεράμνων (Alc. 471), Πλούτωνος δῶμα ... νέρτερον (Herc. fur. 800), Περσεφονείας ... θαλάμους (Suppl. 1024), τῶν κάτω Κόρης ἄνακτός τ' εἰς ἀνηλίους δόμους (Alc. 864), ἐξ ἀνηλίων μυχῶν 'Αιδου Κόρης τε (Herc. fur. 606), νερτέρων ἐκ δωμάτων (Alc. 1075), tamen non modo proprio vocant nomine Orcum (cf. *Aeschyl.* Prom. vs. 153 νέρθεν 'Αιδου, ibid. vs. 1024 εἰς 'Αιδην μολεῖν — *Sophocl.* Oed. R. vs. 30 μέλας δ' 'Αιδης στεναγμοῖς καὶ γόοις πλουτίζεται.[2]), Ant. vs. 822 θνητῶν 'Αΐδην καταβαίνειν, Elect. vs. 834 οἴχεσθαι εἰς 'Αΐδαν, Ai. vs. 660 νὺξ 'Αιδης τε, ibid. vs. 1194 δῦναι τὸν ... 'Αιδαν, frg. 748 στενωπὸς 'Αιδου — *Eurip.* Herc. fur. vs. 425 πολυδάκρυος 'Αιδας, Androm. vs. 533 'Αιδην χθόνιον καταβῇς, Suppl. vs. 801 ἐς 'Αιδην καταβᾶσα, ibid. vs. 1007 ἐς 'Αιδαν καταλύσουσ' .... βίοτον), sed etiam vocibus significant, quibus ad sedem spectent umbrarum. *Aeschylus* enim praebet: νέρθεν 'Αιδου τοῦ νεκροδέγμονος (Prom. 153), πάνδοχον εἰς ...

---

1) Neque hic neque alibi operam dedi, ut omnes qui afferri possunt locos colligam; neque enim re proposita exigitur.

2) Ad deum, non ad locum revocatum invenio versum ab editt. nec minus ab *Ellendtio*, Lex. Sophocl. ed. 2, cur. Genthe, sub voce „μέλας", ubi additur: „deo enim tribuitur, quod eius sedi convenit". Verum nescio, quid impediat, quominus tribuatur cui conveniat sedi. Nam etsi de rebus dici „πλουτίζεσθαι" in praesens non habeo quo confirmem, tamen conici licet ex usu verbi „πλουτεῖν", quod cum subiectis impersonalibus coniungi constat.

χέρσον (Sept. c. Theb. 839), θαλάμους ὑπὸ γῆς (Pers. 616) — *Sophocles:* τὰν παγκευθῆ κάτω νεκρῶν πλάκα (Oed. Col. 1563), τὸν παγκοίταν θάλαμον (Ant. 804), ὁ παγκοίτας Ἅιδας (ibid. 810), ἐξ Ἀίδα παγκοίνου (Elect. 137), τὸν πολύκοινον Ἅιδαν (Ai. 1194), τὸ νερτέρων εὔνουν διαστὰν γῆς ἀλύπητον βάθρον (Oed. Col. 1662), τὰν χθόνιον ἑστίαν ἰδεῖν (ibid. 1726); et praeterea: Ἅιδου οἰκήτορες = mortui (Trach. 282), Ἅιδου φθίμενος οἰκήτωρ (ibid. 1161), Ἅιδου θανασίμους οἰκήτορας (Ai. 517), τὰ δ' ἄλλ' ἐν Ἅιδου τοῖς κάτω μυθήσομαι (ibid. 865), μέθες τὴν παῖδ' ἐν Ἅιδου τήνδε νυμφεύειν τινί (Ant. 654), Ἀχέροντι νυμφεύσω (Ant. 816), — *Euripides:* νεκρῶν κευθμῶνα (Hecub. 1), νεκύων ἐς αὐλάν (Alc. 269), ὃς γᾶς ἐξέβα θαλάμων (ibid. 799), κοινὸν ἐς Ἅιδην (Suppl. 801); et praeterea: Ἅιδην .... εἰσιδεῖν (Heracl. 514), πάλιν ὑποστρέφει βίοτον εἰς Ἅιδαν (Herc. fur. 733), ὦ κάτω γῆς ... οἰκῶν πάτερ (Elect. 676), οἰκεῖ νερτέρας ὑπὸ χθονὸς (frg. 454), τὸν ἀνάλιον οἶκον οἰκετεύοις (Alc. 451), κεῖν' (sc. φθιμένων) ἐπιθυμῶ δώματα ναίειν (ibid. 880), ὃν κατὰ γᾶς .... χθόνιον .... ἐδόκουν ναίειν (Ion. 1445), θέλω τὸ κατὰ γᾶς κνέφας μετοικεῖν (Hippol. 831), Ἅιδου δ' ἐν δόμοις παιδεύεται (Ion. 958), ἐς Ἅιδου νυμφίῳ γαμώμεθα (Troad. 447); simili modo: Ἅιδην νύμφιον κεκτημένη (Orest. 1109), Ἅιδης νιν ὡς ἔοικε νυμφεύσει τάχα (Iphig. Aulid. 457)[1]).

Situm esse *Homeri* Orcum sub terra documento sunt X 482 νῦν δὲ σὺ μὲν ῥ' Ἀΐδαο δόμους ὑπὸ κεύθεσι γαίης | ἔρχεαι, Γ 278, ubi dei inferorum ὑπένερθε habitare dicuntur, Σ 333 εἶμ' ὑπὸ γαῖαν i. e. in Orcum migrabo, moriar, Ψ 100 ψυχὴ δὲ κατὰ χθονός, ἠΰτε καπνός, | ᾤχετο, alii loci Iliadis; Odysseae autem, cum non pauci versus in λ, ω, aliis libris mea qui *Kammerum* sequar opinione subditivi sint, unus tantum, verum qui refelli non possit, υ 80, ubi Penelopa aegritudine sollicitata mortem sibi his expetit verbis: ἠέ μ' ἐυπλόκαμος βάλοι Ἄρτεμις, ὄφρ' Ὀδυσῆα | ὀσσομένη καὶ γαῖαν ὕπο στυγερὴν ἀφικοίμην.

Etsi vero habitationem mortuorum sub terra collocare cogitationis tam naturalis simplicisque est, ut intellegere quomodo alia exsistere potuerit opinio difficile sit, tamen diu et usque adhuc magnam fuisse inter viros doctos de situ vel de

---

[1]) Apud Homerum quae inveniuntur translationes pro „mori", „mortuum esse" (cf. *Kammeri* l. c. pag. 512 adnot. **)) nunquam a mansione inferna sed a migratione repetuntur.

introitu Orci dissensionem quis est quin sciat?[1]) Erant qui F. A. *Wolfio* auctore[2]) Orcum Iliadis in profundo terrae recessu, Odysseae autem trans Oceanum in ultimis terrae occidentalis finibus situm esse censerent. Quorum opinioni iam J. H. *Vossius* obstitit, cum unum Orcum subterraneum eiusque introitum in occidente situm coniceret[3]). *Vossii* sententiam *Nitzschius* secutus est[4]); alii aliis ducebantur persuasionibus[5]). Mirificam opinionem ante hos viginti fere annos exprompsit Guil. *Jordanus* in commentariolo, quod inscribitur „Der Hadeseingang nach der Odyssee“ [6]), cuius summa his continetur verbis: „Das Totenreich bleibt für Homer gleichfalls unter der Erde, die kühne Neuerung der Odyssee besteht darin, dass sie ihren Helden anstatt des Weges hindurch, den Weg um die Erdscheibe herum einschlagen lässt; es ist eine Columbusthat der Poesie, ein höchst merkwürdiger Schritt der Annäherung zu richtigeren Vorstellungen von der Configuration der Erde.“ De qua persuasione dubito an melius iudicari non possit, quam a *Kammero* factum est, qui eam festivissime cavillatur[7]); quis enim tales nugas ad serium referet? Quantas autem in angustias adducatur qui res inter se discrepantes quacumque ratione copulare studet, vir doctus quidam natione Francogallus[8]) tribus ante lustris expertus est. Ita enim conatur declarare, cur duplex apud *Homerum* Orcus sit, ut dicat, antiquissimam fuisse opinionem, mortuos in occidente trans Oceanum supra terram habitare;

---

[1]) cf. *Nitzsch*, Erklärende Anmerkungen zu Homers Odyssee. vol. III. pag. XXXV.

[2]) Vorles. üb. d. Geschichte der Griech. Litter. pag. 150.

[3]) Alte Weltkunde pag. XIV et XXIV. Krit. Blätt. vol. II. pag. 306—310. 347—353. Antisymbol. vol. I. pag. 206.

[4]) l. c. vol. III. pag. 187.

[5]) cf. *Nägelsbach-Autenrieth*, Homerische Theologie. [3]. p. 465.

[6]) Inest in: *Jahns* Jahrbücher für Philologie und Pädagogik. 105. Bd. Leipzig 1872.

[7]) l. c. pag. 486 sqq.

[8]) Th.-H. *Martin*, Traditions homériques et hésiodiques sur le séjour des morts. Inest in: Annuaire de l' association pour l' encouragement des études grecques en France. 12e année. 1878.

sed cum factum esset, ut postremo Orcus in diversissimis regionibus iisque nimis notis quaereretur, sub terra eum esse positum, cuius rei nonnulla apud *Homerum* exstare vestigia[1]).

His omnibus difficultatibus *Kammeri* sententia medetur. Tota igitur Orci occidentalis aut introitus eius in occidente siti persuasio a duabus necyiis repetita locis nititur oriundis ex poetae inventione, qua impulsus colloquentem facit cum inferis Ulixem; non enim relata, non fama refert poeta et auditione accepta, sed cum ceterum tum ea in re certum beneque consideratum sequitur consilium. Cum autem non ignoret, mortuis Orcum ubique praebere introitum — ipse enim nullo unquam itinere animae commemorato pro „ἀποκτείνειν“ dicit πέμπειν εἰς 'Αίδαο aut ῎Αϊδι προϊάπτειν et pro „ἀποθνήσκειν“ ῎Αϊδόσδε κατιέναι vel ἰέναι εἰς 'Αίδαο vel δόμον ῎Αϊδος εἰσαφίκεσθαι — vivis nusquam patere eius aditum, ut in re ficta et commenticia, quoniam defunctis nullum est cum vivis commercium, Ulixis, quippe qui in navi vehatur, cum mortuis Graecorum principibus colloquium in regionem transfert non minus, quam est Orcus subterraneus, ignotam atque obscuram et Oceano, ut naviganti pervia sit, finitimam, in nebulosos ultimae terrae occidentalis fines. Qua umbrarum sede poetica, cum exstaret in antiquissima primae necyiae parte, posteriores qui eam excolebant et producebant poetae et propter opportunitatem et eam ob causam usi sunt, quia pressa semel vestigia iis erant persequenda: multo minus enim offendebat vulgarium persuasionum cum poetarum dissensio, quam conspicua eodem in carmine eodemque fere in loco de re eadem neque ea levi discrepantia. Unus et idem igitur si non invenitur apud *Homerum* at certe ab *Homero* creditur Orcus atque is subterraneus.

Tragicos sub terra collocasse sedem umbrarum vix est quod in dubium quispiam vocaverit. *Aeschyli* opinionem aperiunt Orci appellationes θάλαμοι ὑπὸ γῆς (Pers. 616) et οἱ ἔνερθε καὶ κάτω χθονὸς τόποι (Eum. 977), loci definitiones γᾶς νέρθεν (Choeph. 38),

---

[1]) cf. l. c. pag. 6: „Ayant transporté dans des régions trop connues l'entrée du séjour des morts on était dès lors obligé de cacher sous la terre ce royaume d' Hadès.“

ἔνερθε χθονός (Eum. 275), κατὰ χθονός (Choeph. 352. Pers. 674), ὑπὸ σώματι γᾶς (Sept. c. Theb. 925), Orestis verba: ὦ γαῖ' ἄνες μοι πατέρ' ἐποπτεῦσαι μάχην (Choeph. 486) Dareique ad inferos redeuntis: ἐγὼ δ' ἄπειμι γῆς ὑπὸ ζόφον κάτω (Pers. 824)[1]. Apud *Sophoclem* mortui dicuntur οἱ κάτω (Ai. 865. Ant. 75), οἱ ὑπὸ χθονός (Ant. 65), οἱ ἔνερθε νεκροί (Ant. 25), domiciliumque eorum κεῦθος νεκύων (Ant. 818) et νέρτεραι νεκρῶν πλάκες (Oed. Col. 1576); praeterea autem legimus: ὦ πάτερ, ὦ φίλος, | ὦ τὸν ἀεὶ κατὰ γᾶς σκότον εἱμένος (Oed. Col. 1700 sq.) et τὰν παγκευθῆ κάτω | νεκρῶν πλάκα (ibid. 1564) et ὁ δὲ θανὼν | κεύθει κάτω δὴ γῆς (Oed. R. 967)[2]. *Euripidis* Orcus vocatur ἡ νερτέρα χθών (Alc. 47. Herc. fur. 335. frg. 454); pro voce „ex Orco“ redditur νέρθεν (Herc. fur. 620. 1157), pro „in Orco“ κάτω (frg. 639), κάτωθεν (Alc. 438), κάτω χθονός (Alc. 45. Heracl. 592), κατὰ χθονός (Hel. 344. Heracl. 1034), κατὰ γᾶς (Alc. 245. Suppl. 1026. Hippol. 1357), ὑπὸ χθονός (frg. 734), ὑπὸ χθονί (Herc. fur. 617), νέρθεν (ibid. 1404), γῆς νέρθεν (ibid. 515), παρὰ νερτέροις (Med. 972).

Quae praeterea de Orci natura traduntur perpauca sunt. *Homerus*[3]) domui Plutonis portas tribuit (cf. Ε 646 Ι 312.

[1]) *Hofmannus* l. pag. 56 adn. 1 c. pag. 16 si opinionem de Orci introitu occidentali inesse putat in chori verbis: ξυμπίτνων στένει βυθός, | κελαινὸς Ἄϊδος ἐμβρέμει μυχὸς γᾶς (Prom. 432 sq.), primum de occidente errat, quod locum ad Atlantem refert, qui ad Prometheum haud dubie spectat; introitus autem ne perperam quidem referenti intellegendus erat, quoniam „penetrale“ significatum est a poeta.

[2]) *Hofmannus* l. pag. 56 adn. 1 c. pag. 18 vocem ἀκτὰν ἑσπέρου θεοῦ, qua Sophocles regionem inferorum significat Oed. R. vs. 178, commonefacere dicit „an die populäre Vorstellung von einem im Westen beginnenden Hades“. At quidnam causae est, cur illam opinionem vulgo inculcet? An tragicos eam propterea non esse secutos putat, ut a vulgari sententia discreparent? Immo nec vulgus unquam eiusmodi persuasione usum est, nec Sophocli erat de ea cogitandum. Num quis enim Plutoni, qui vocatur ἐννυχίων ἄναξ (Oed. Col. 1559) et ἔννυχος Ἅιδης (Trach. 501), vel Mercurio, quem Aeschylus appellat νύχιον Ἑρμῆν (Choeph, 715), esse quicquam existimabit cum septentrionibus, recordatus Sophoclis illarum νυχιᾶν ῥιπᾶν (Oed. Col. 1248)? ἑσπέρῳ deo cum occidente esse existimabit, quia ἕσπερος potest intellegi occidentalis? At saepe intellegitur. Vespertinus si antea semel, hoc loco iterum. Nonne enim deum in tenebris habitantem qui nocturnus vocetur vespertinum dicere convenientius est quam occidentalem?

[3]) *Kammeri* de rebus infernis apud Homerum sententiam sequenti

§ 156); per quas *Aeschyli* quoque κελαινὸς Ἀΐδος μυχὸς γᾶς (Prom. 433)[1]), *Sophoclis* ἄσκοποι πλάκες (Oed. Col. 1681) vel παγκευθὴς κάτω νεκρῶν πλάξ (Oed. Col. 1563) vel νέρτεραι νεκρῶν πλάκες (Oed. Col. 1576), *Euripidis* μυχοὶ χθονός (Suppl. 546. ibid. 928. Herc. fur. 37) vel γῆς μυχοί (Troad. 946) intrantur (cf. *Aeschyli* Ag. vs. 1236 Ἅιδου πύλας δὲ τάσδ' ἐγὼ προσεννέπω. *Sophoclis* Oed. Col. vs. 1569 sqq. θηρός, ὃν ἐν πύλαισι | ταῖσι πολυξένοις[2]) | εὐνᾶσθαι κνυζεῖσθαί τ' ἐξ ἄντρων | ἀδάματον φύλακα παρ' Ἀΐδᾳ | λόγος αἰὲν ἔχει[3]). *Euripidis* Hippol. vs. 56 οὐ γὰρ οἶδ' ἀνεῳγμένας πύλας Ἅιδου, ibid. vs. 892, Med. vs. 1223 εἰς Ἅιδου πύλας, Alc. vs. 128 Ἅιδα τε ... πύλας, Hippol. vs. 1441 νερτέρων ὁρῶ πύλας, Hecub. vs. 1 σκότου πύλας). Sed etiamsi per portas aditum praebet, tamen solis radicibus nunquam collustratur inferorum domicilium. Sempiterna igitur caligine et maligno quodam humore laborans ab *Homero* vocatur ζόφος ἠερόεις (Θ 191 Φ 56 Ψ 51) et οἰκία εὐρώεντα (Υ 65). Simili modo *Aeschylus* Orcum dicit κελαινόν (Prom. 433) vel ἀναύγητον (ibid. 1024) et *Sophocles* ἄϊδηλον (Ai. 608)[4]) vel μέλαν (Oed. R. 30)[5]); atque apud *Euripidem* ad tenebras infernas referenda sunt τὸ κάτω σκότος (Herc. fur. 562), τὸ γᾶς σκότος (Hecub. 207. Hel. 61), τὸ κατὰ γᾶς κνέφας (Hippol. 831), ὁ γῆς ζόφος (ibid. 1410), ἡ χθονὸς μέλαινα ὄρφνη (Herc. fur. 46), τὰ

---

omnes mihi versus reiciendi sunt, in quibus inhomericam quam vocant inesse Orci descriptionem puto.

[1]) Quae frg. 235 ἁπλῆ γὰρ οἶμος εἰς Ἅιδου φέρει commemoratur Orci via non una dicitur sed simplex, cum per tenebras ferat ubique aeque caliginosas.

[2]) cum *Nauckio* et *Schneidewinio* pro lib. φασὶ πολυξέστοις.

[3]) Ad Orci Sophoclei portas referendum esse frg. 359 ψυχῆς ἀνοῖξαι τὴν κεκλῃμένην πύλην, id quod conicitur in adnot. ad voc. πύλη in Lex. Sophocl. comp. *Ellendt*, ed. alt. cur. Genthe, veri existimo dissimillimum.

[4]) Dubitatur, num tenebricosus sit ἀΐδηλος. Sunt qui reddant „ἀφανίζων", in his *Curtius* (Grundz. d. griech. Etymol.[4]. pag. 644: ἀΐδηλος active = ἀφανίζων, ἀΐζηλος passive = ἀφανής); *Goebel* (Lexilog. z. Hom. II. pag. 501): „Ἀ-ϝίδ-ηλος bzw. das Simplex ϝίδ-ηλος ist gebildet, wie ἔκ-ηλος (ϝεκ.) mit ἀϝεκ-ήλιος (Erweiterung von *ἀϝέκ-ηλος) und bedeutet n i c h t ἀφανίζων (*Buttm.*, *Curt.* etc.), sondern in-visus = verhasst, abscheulich." Nostro tamen loco cum ea significatio praecedenti subsit voci „ἀπότροπον", nihil esset, quod tautologiam excusaret.

[5]) cf. pag. 78 adn. 2.

μέλαθρα νύχια (Hel. 177), αἱ ἕδραι σκότιαι (Alc. 127), ἡ ζοφερὰ ἀδίαυλος ἕδρα (frg. 860), οἱ ἀνήλιοι μυχοί (Herc. fur. 606), ὁ ἀνάλιος οἶκος (Alc. 451). Quae cum ita sint, *Homero* umbrarum conditorium, ut omnia, quae cum morte cohaerent, odiosissimum est; quare appellatur et οἰκία σμερδαλέα (Υ 65) et γαῖα στυγερή (υ 81). Tragicorum *Sophocles* unus Orcum δυσκάθαρτον vocat (Ant. 1284) et ἀπότροπον (Ai. 608).

Fluminum inferorum *Homerus*, si versus ii, quos cum *Kammero* excludimus, non curantur, nullum commemorat nisi Stygem, cuius simul cum caelo et terra testatione dis gravius non est iusiurandum. Iurat per eam Hera Ξ 278 O 37 et Calypso dea ε 185. Utrum illud flumen autem sedem mortuorum circumfluat an per penetralia feratur, unde profluat, quo se effundat minime apparet, cum is Iliadis locus (Θ 362—369), ubi Minerva dicit, se Herculem iussu Eurysthei ut Cerberum in terram educeret ad inferos descendentem non adiuturam fuisse in effugiendis Stygis fluctibus, si cognitum habuisset ingratum Iovis animum, dubitari possit an interpolatus sit. Licet enim levius putetur quod *Nitzschius* monet[1]), Minervam haud ita apte iactare auxilium Iovis filio saepius latum, quoniam Iuppiter illo non iam vivo fruatur (cf. Σ 117), utque non multo gravius sit quod moneri potest, duodecim Herculis laborum praeter unum illum apud *Homerum* exstare nullum, tamen alia necessario affertur dubitatio ei, qui *Kammeri* de inferis Homericis sequitur sententiam, neque ea neglegenda. Nam Ulixis ad inferos descensus si non a fama antiquitus accepta sed ab ipsius poetae ingenio repetitur, quia vitae in Orco persuasio *Homeri* aetate adeo est nulla, ut homo vivus atque mortalis ne minimam quidem possit habere cum mortuis rationem, quomodo Hercules excipi potest? At Iovis filius est. Quid tandem voluit apud inferos? Canem arcessere dei inferorum. Quemnam canem? num eum, quem *Aeschylus* et *Pindarus* ignorant, *Sophocles* et *Euripides* commemorantes nondum nominant[2]), qui non habeat opinor quem custodiat,

---

[1]) l. c. vol. III. pag. 181.

[2]) de Hesiodi locis Theog. vs. 310 sqq. et 767 sqq. infra agetur.

quoniam nondum quicquam agunt mortui, nondum profugere cogitant, cum omnino nihil cogitent? Itaque Cerberus nisi vero catellus est, quem Pluton et Proserpina in deliciis habent, fieri non potest ut *Homero* notus sit; quocirca totum illum locum subditivum esse patet[1].

Stygis fluvii mentionem faciunt *Aeschylus* (cf. Pers. vs. 656 Στυγία ἀχλὺς = tenebrae infernae), *Sophocles* (cf. Oed. Col. vs. 1563 Στύγιος δόμος = Orcus), *Euripides* (cf. *Aristoph.* Ran. vs. 470 sqq., quibus subesse quaedam ex *Euripidis* Theseo petita scholiorum testimonio confirmatur). Cocytum *Aeschylus* commemorat Sept. c. Theb. vs. 678 et Ag. vs. 1105 atque *Euripides* apud *Aristoph.* l. c. et praeterea Alc. vs. 472. Acherontem denique *Aeschylus* intellegi vult, si dicit πρὸς ὠκύπορον πόρθμευμ' ἀχέων (Ag. 1503) et ἀμφὶ ... ἀχερουσίους ὄχθους (ibid. 1106) eundemque apertis verbis appellat Sept. c. Theb. vs. 836. *Sophocles* idem flumen nominat Ant. vss. 811. 816 et Elect. vs. 184; neque alio referendam esse vocem „'Αΐδα παγκοίνου λίμνη" (ibid. 138) umbrae Achillis verba documento sunt: ἀκτὰς ἀπαίωνάς τε καὶ μελαμβαθεῖς | λιποῦσα λίμνης ἦλθον, ἄρσενας χοὰς | 'Αχέροντος ὀξυπλῆγας ἠχούσας γόους (frg. 478). Apud *Euripidem* invenitur: ἡ 'Αχεροντία λίμνη (Alc. 457. frg. 860), ὁ 'Αχερόντιος λιμήν = Orcus (Herc. fur. 762), ὁ 'Αχερούσιος πόρος (ibid. 830), ὁ καταιβάτης 'Αχέρων (Bacch. 1350). Quae praeterea commemorantur ab *Aeschylo* Πλούτωνος πόρος (Prom. 802) et ab *Euripide* λίμνη (Alc. 260) vel χθονία λίμνη (ibid. 915) dubium est, quo pertineant.

Tartarum apud *Homerum* non idem esse quod Orcum nec partem sedis inferorum sed Titanum carcerem infra illam situm ex Iovis verbis apparet, quibus Iunonem increpat:

σέθεν δ' ἐγὼ οὐκ ἀλεγίζω
χωομένης, οὐδ' εἴ κε τὰ νείατα πείραθ' ἵκηαι
γαίης καὶ πόντοιο, ἵν' Ἰαπετός τε Κρόνος τε
ἥμενοι οὔτ' αὐγῇς Ὑπερίονος Ἠελίοιο
τέρποντ' οὔτ' ἀνέμοισι, βαθὺς δέ τε Τάρταρος ἀμφίς.

---

[1]) **Hinc efficitur, ut E 397 ἐν Πύλῳ scribendum sit, etsi ἐν πύλῳ Aristarchi nititur auctoritate. Multo minus enim habet dubitationis, Plutonem progressum induci in terram quam degressum ad inferos Herculem.**

(Θ 477 sqq.) et deos pugnis ante Troiam factis interesse vetitos si qui male parerent deiecturum se confirmat:

> ἐς Τάρταρον ἠερόεντα,
> τῆλε μάλ', ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον,
> ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδός,
> τόσσον ἔνερθ' Ἀίδεω ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.

(Θ 13 sqq.); nec minus demonstratur Iunonis voce:

> Κρόνον εὐρύοπα Ζεὺς
> γαίης νέρθε καθεῖσε καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης.

(Ξ 203 sq.) et Titanum appellatione „ὑποταρτάριοι θεοί" (Ξ 279).

Aeschylus Homeri opinionem secutus est; legimus enim:

> Ταρτάρου μελαμβαθὴς
> κευθμὼν καλύπτει τὸν παλαιγενῆ Κρόνον
> αὐτοῖσι συμμάχοισι.

(Prom. 221 sqq.) et:

> Εἰ γάρ μ' ὑπὸ γῆν
> νέρθεν θ' Ἅιδου τοῦ νεκροδέγμονος
> εἰς ἀπέραντον Τάρταρον ἧκεν.

(ibid. 152 sqq.)[1]. Tamen sibi non constat. Nam Furiae, deorum inferorum ministrae ab umbris poenas sceleste factorum repetentes, quibus cum Titanis quicquam esse neque *Homerus* neque tragici auctores sunt, si ab Apolline incolere dicuntur „κακὸν σκότον Τάρταρόν θ' ὑπὸ χθονός" (Eum. 74), ipsae autem Minervae de genere earum dubitanti respondent:

> Ἀραὶ δ' ἐν οἴκοις γῆς ὑπαὶ κεκλήμεθα.

(Eum. 400), Orcum, non Titanum carcerem intellegendum illo loco Eum. vs. 74 manifestum est. Atque in Orcum conveniunt, quae praeterea de Tartaro vel de Furiarum sede tradit *Aeschylus* (cf. Prom. vs. 1025 κνεφαῖα βάθη Ταρτάρου, ibid. vs. 1046

[1]) cum *Doederleinio* (Homerisches Glossarium, Erlangen 1853. n. 657) ἀπέραντον hoc loco non „infinitum" sed „inextricabilem" interpretor, quod magis conveniat in carcerem.

χελαινὸς Τάρταρος, Eum. vs. 370 ἀνήλιος λάμπα, ibid. vs. 379 δυσήλιον κνέφας).

Sophocles quid de Tartaro censuerit, ex duobus locis, quibus eius mentio fit (Mors filia dicitur Terrae et Tartari Oed. Col. vs. 1574 et Polynicem ut Tartarus devoret pater optat ibid. vs. 1390), haud scio an non possit diiudicari. Tamen ob id ipsum, quod Oedipus filio Tartari tenebras imprecatur, veri similius est, non distinxisse Orcum a Tartaro poetam[1]).

Euripidis sententia si non satis aperitur Oedipodis voto:

Ταρτάρου γὰρ ὤφελεν
ἐλθεῖν Κιθαιρὼν εἰς ἄβυσσα χάσματα,
ὅς μ' οὐ διώλεσ'·

(Phoen. 1606 sq.), at certe inde cognoscitur, quod et Orestes timet, ne a Furiis in Tartarum deiciatur (Orest. 255), et Ταρταρείας (cf. frg. 381) esse has deas apparet ex Rabiei verbis:

δεινὰ μυκᾶται δὲ Κῆρας ἀνακαλῶν τὰς Ταρτάρου

(Herc. fur. 862). Quin etiam appellativum ex proprio Tartari nomine factum occurrit apud *Euripidem:* invenitur enim ὑπὸ γῆς τάρταρα (Hippol. 1279)[2]) et τάραγμα ταρτάρειον (Herc. fur. 897).

Nec non cohaeret haec *Homeri* et tragicorum de Tartaro opinionum discrepantia cum ea, quam inter universas eorum de inferis persuasiones supra explicavimus. Namque vita in Orco deficiente Titanum viventium habitatio a mortuorum conditorio non potuit non separari, potuit confundi cum umbrarum domicilio lucis quadam specie ad inferos importata.

---

[1]) Aliter censet *Wuestius.* Dicit enim l. pag. 52 adn. 1 c. pag. 8: „Er kennt eben den Tartaros, wie Homer und Hesiod, als einen von der Unterwelt ganz getrennten Raum, in dem die gestürzten Titanen gefangen gehalten werden, und um seine Verwünschung schrecklicher zu machen, ruft er statt des Erdenschosses überhaupt speciell dieses fürchterliche Dunkel an, Polynices zu verschlingen." Verum ut omittam interrogare, haec unde petiverit *Wuestius,* nonne sat horribilis est Orci imprecatio a patre filio instituta?

[2]) *Warmboldius* l. c. pag. 20 hunc locum et Rabiei verba Herc. fur. vs. 862 demonstrare dicit, apud Euripidem Tartarum esse profundissimam et maxime horrendam Orci regionem. Sed ea persuasio quomodo inde repeti possit prorsus ignoro.

Atque indidem repetendus est rarissimus tragicorum usus vocabuli „ἔρεβος“. Quod quid et apud *Homerum* et in universum significet, valde miror non perspectum esse a quibusdam viris doctis, qui de loco vel spatio regionis infernae cogitaverunt (cf. Thesaur. ling. Graec. ed. *Passow,* cur. *Rost:* „ein finsterer Ort unter der Erde, zwischen der Erdoberfläche und dem noch tiefer gelegenen Hades, von dem das Erebos Il. 8. 368 ausdrücklich unterschieden wird.“ Accessit *Pape,* apud quem legitur: „das Dunkel der Unterwelt, der Erebos, nach homerischer Vorstellung der finstere Ort zwischen der Erdoberfläche und dem tiefer gelegenen Hades“) aut Orcum ipsum intellexerunt (cf. Ind. vocab. Homeric. comp. *Seiler,* ed. 8. cur. *Capelle*: „finsterer Erdengrund als Totenbehausung, das finstere Todesthal“. *Retzlaffii* institut. Homeric. [2]. I. pag. 107: „das finstere Todesthal“. *Doederleinii* glossar. Homeric. n. 324: „Ἔρεβος ist das finstere Totenthal, die Finsternis im Totenreich, unter der Erde, mit einem Eingang und Vorhof im Westen.“). Tamen iam *Nitzschius*[1]) rectissime hoc vocabulum ita interpretatus est: „Erebos ist wie bei Homer und Hesiod Th. 669 so auch bei Spätern nie etwas anderes als die unterirdische Finsternis, oder an sich so zu sagen die absolute Finsternis der Orte, wo alle Möglichkeit des Lichtes aufhört“, atque haud scio an qui eum secuti sunt interpretatores in errorem non incidissent, nisi in eodem libro pag. 171 legeretur: „Für entschieden muss gelten, dass Ἔρεβος der Eigenname oder die eigentümliche Benennung des finstern Totenthales, der Finsternis im Totenreiche ist.“ Verum nunquam ἔρεβος significat nec locum nec spatium regionis infernae aut Orcum ipsum, nihil aliud significat nisi inferas tenebras[2]); quae quem explent locum, is improprie

---

[1]) l. c. vol. III. pag. 380.

[2]) *Curtius* (Grundz. d. griech. Etymol. [4]. pag. 472 sq.) ἔρεβος repetit a rad. skt. „tenebras“ vel „noctem“ significante, non prorsus interdicta derivatione a verbo nativo quod intellegitur „camerare“ vel „tegere“. Apud *Goebelium* (Lexilog. z. Homer) exstat l. c. I. pag. 372: „Darnach werden wir ἔ-ρεβ-ος als urspr. Höhle, Hölle bzw. als Einbiegung in die Tiefe fassen

vocari potest ἔρεβος, tam valida tamen vi denominationis, ut initiali minuscula vocabulum scribendum sit. Inveniuntur igitur apud *Homerum* ἐξ ἐρέβευς Θ 368[1]), ἐξ ἐρέβεσφιν I 572, ὑπὲξ ἐρέβευς λ 37 — quae reddi possunt „ex Orci tenebris"; εἰς ἔρεβος Π 327 λ 564, quod est „in Orci tenebras"; denique πρὸς ζόφον εἰς ἔρεβος τετραμμένον μ 81, ubi interpretor „ad occidentem in Orci tenebras conversum"[2]). Tragici si perraro hac voce utuntur (*Aeschylus* nunquam; *Sophocles* praebet Oed. Col. vs. 1390 τὸ Ταρτάρου στυγνὸν πατρῷον ἔρεβος, Ai. vs. 397 ἔρεβος ὦ φαεννότατον = „Orci tenebrae mihi lucidissimae", Ant. vs. 589 ἔρεβος ὕφαλον = „infimi maris tenebrae"; ab *Euripide* peto Orest. vs. 172 ἐρεβόθεν = „e tenebris inferorum" et Hel. vs. 519 μελαμφαὲς ... δι' ἔρεβος = „per nigras ... regionis infernae tenebras"), non tam caligine liberant mortuorum sedem, quam discernere dedidicerunt inter tenebras superas et inferas: quae res quamvis exigua per se tamen non omnino est neglegenda in opinionibus *Homeri* et tragicorum de inferis perpendendis; ille inter „hic" et „illic" distinguendi studiosissimus, hi non ita multum curiosi in ea differentia.

Elysium, cuius apud *Homerum* mentio fit δ 563, apud tragicos nunquam, ad inferos non referendum esse supra dixi (cf. pag. 32 adnot. 1).

Orci naturam quoniam aeque ac mortuorum in eo condicionem pertractavimus, sequitur, ut ceteros eius incolas in quaestionem vocemus. De quibus cum sic possit disseri, ut quam quisque administret provinciam quaeque expleat munera perspiciatur, satis habeo, quo magis teneam rem propositam,

dürfen"; ibid. II. pag. 567: „Den Stamm ἐρεβ «bedecken» haben wir in ἔρεβ-ος Verhüllung, Bedeckung".

[1]) de loco addubitavi pag. 84 sq.

[2]) υ 356, ubi legitur ἔρεβόσδε ὑπὸ ζόφον, cum *Kammero* reicio, qui maximam partem libri υ imprimisque Theoclymeni vaticinationem υ 350 sqq. posteriori aetati tribuit. Cf. l. c. pag. 570 sqq. 671.

cum haec duo demonstrare, tragicos et plus versari in illis proferendis et prolatos animis nostris manifestius proponere quam *Homerum*, tum ita instituere eam demonstrationem, ut cognoscatur, deos inferos non modo saepius commemorari praesentioresque sub aspectum ab his quam ab illo subici, verum etiam mitiores interdum cogitari et minore accipi formidine, id quod praeter invocationes et sacrificia, quibus afficiuntur, maxime appareat e quorundam epithetorum usu. Quae quo facilius oculis teneantur de singulis Orci habitatoribus non dissertatione continua sed prompta agere compositione animum induxi.

Atque deos inferos cum tragici communi quadam appellatione complectantur (cf. οἱ ἔνεροι *Eurip.* Alc. vs. 30 — οἱ κάτω θεοί *Sophocl.* Elect. vs. 292, — οἱ κάτωθεν θεοί *Sophocl.* Ant. vs. 1070 — οἱ νέρτεροι θεοί *Aeschyl.* Pers. vs. 614, *Sophocl.* Ant. vss. 601 et 749, *Eurip.* Orest. vs. 613. Alc. vs. 1148 — οἱ κατὰ χθονὸς θεοί *Aeschyl.* Pers. vs. 674, *Eurip.* Alc. vs. 75 — οἱ ὑπὸ γαῖαν θεοί *Eurip.* Hecub. vs. 145 — οἱ χθόνιοι θεοί *Eurip.* frg. 860 — οἱ γῆς ἔνερθε δαίμονες *Aeschyl.* Choeph. vs. 118 — χθόνιοι δαίμονες ἁγνοί *Aeschyl.* Pers. vs. 620 — οἱ κάτω σθένοντες *Eurip.* Hecub. vs. 49), apud *Homerum* qui inveniuntur οἱ ἔνερθε θεοί (Ξ 274) vel οἵ περ ἐνέρτεροί εἰσι θεοί (O 225) Titanes sunt Κρόνον ἀμφὶς ἐόντες, non Orci domini. Quorum in numero habentur Pluton, Proserpina, Furiae, Mercurius, Mors.

I.

De Plutone.

A. nomina et appellationes:

1. *Homerus* Ἀΐδης, cf. E 395 I 158 O 188 O 191 μ 17 ψ 322. *Aeschylus* Sept. c. Theb. 299. 849. Suppl. 760. *Sophocles* Oed. Col. 1690. Trach. 1085. *Euripides* Alc. 452. Elect. 143. Hecub. 206. 1011.
2. *Homerus* Ἀιδωνεύς E 190 Υ 61. *Aeschylus* Pers. 641. *Sophocles* Oed. Col. 1560. *Euripides* n.
3. *Homerus* (Ἄϊς) genet. Ἄϊδος, cf. A 3 E 654 H 330 N 415 X 362 γ 410 ζ 11. *Aeschylus* Prom. 433. *Sophocles* Oed. Col. 1221. *Euripides* n.

4. *Homerus* n. *Aeschylus* Ἅιδης. cf. Ag. 1059. 1475. Eum. 274. Prom. 238. Suppl. 218. 404. frg. 235. *Sophocles* Ant. 519. 542. 575. 777. 810. Ai. 1035. Elect. 542. 949. Trach. 501. 1040. 1098. *Euripides* Alc. 231. 237. 270. 278. 756. Hecub. 2. Hel. 968. Herc. fur. 482. 606. 1016. Hippol. 1044. Iphig. Aulid. 457. Iphig. Tauric. 178. Orest. 1109. Phoen. 813. 1578. Suppl. 76. 777. frg. 336.
5. *Homerus* n. *Aeschylus* Πλούτων Prom. 802. *Sophocles* Ant. 1200. *Euripides* Alc. 371. Herc. fur. 800. 1091.
6. *Homerus* n. *Aeschylus* Ζαγρεύς frg. 4[1]). *Sophocles* n. *Euripides* n.
7. *Homerus* Ζεὺς καταχθόνιος I 457. *Aeschylus* ὁ κατὰ χθονὸς Ζεύς Ag. 1331. ὁ γαῖος Ζεὺς τῶν κεκμηκότων Suppl. 144. *Sophocles* Ζεὺς χθόνιος Oed. Col. 1606[2]). *Euripides* ὁ κάτωθεν θεός Alc. 438. ὁ χθόνιος θεός Phoen. 1326. ὁ χθόνιος Ἅιδης Alc. 237. ὁ κατὰ χθονὸς Ἅιδας Phoen. 813. ὁ νέρτερος Ἅιδης Hel. 968.
8. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* ὦ Διὸς αὐθαίμων Trach. 1041. *Euripides* n.
9. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* ἔννυχος Ἅιδας Trach. 501. ἕσπερος θεός Oed. R. 178[3]). *Euripides* n.
10. *Homerus* ἄναξ ἐνέρων Υ 61. ἐνέροισιν ἀνάσσων O 188. *Aeschylus* βασιλεὺς ἐνέρων Pers. 621. cf. πρόπαρ θανούσας δ' Ἀίδας ἀνάσσοι Suppl. 760. *Sophocles* ὦναξ Ἀίδη Trach. 1085. ὁ παρὰ τὸν Ἀχέροντα θεὸς ἀνάσσων Elect. 184. ἐννυχίων ἄναξ Oed. Col. 1559. *Euripides* ἄναξ Alc. 864.

---

1) Ζαγρεύς filius Plutonis frg. 224. cf. God. *Hermanni* Aeschyl. trag. I. pag. 331.

2) Dubitari potest, utrum Pluton an Iuppiter intellegendus sit, praesertim cum vs. 1460 inveniatur: Διὸς πτερωτὸς ἥδε μ' αὐτίκ' ἄξεται βροντὴ πρὸς Ἅιδην. *Luebkerus* (Sophokleische Theologie u. Ethik. Kiel 1851) si l. c. I. pag. 30 Iovem interpretatur ex Hom. I 457 et Hes. op. 463 deum hoc loco nominatum, de Homero errat, quia καταχθόνιος non χθόνιος legitur atque haud dubie ad Plutonem spectatur; de Hesiodi loco cf. *Lehrs*, Popul. Aufs. [2]. pag. 298 sq.

3) cf. pag. 82 adn. 2.

B. species et habitus.

Homerus n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* ὁ μελαγχαίτας θεός Alc. 452. ὑπ' ὀφρύσι κυαναυγὲς βλέπων πτερωτὸς Ἅιδας Alc. 270.

C. natura et indoles.

1. *Homerus* βροτοῖσι θεῶν ἔχθιστος ἁπάντων I 159. *Aeschylus* Ἀίδα ... ἐχθρὸν παιᾶν' ἐπιμέλπειν Sept. c. Theb. 849. *Sophocles* n. *Euripides* n.
2. *Homerus* ἀμείλιχος I 158. ἀδάμαστος ibid. στυγερός Θ 368 [1]). *Aeschylus* n. *Sophocles* φόνιος Oed. Col. 1690. δημιουργὸς ἄγριος Ai. 1035. Ἅιδος μοῖρ' ἀνυμέναιος ἄλυρος ἄχορος Oed. Col. 1221. *Euripides* θανάσιμος Hecub. 1011. ἄσπονδος Alc. 438.
3. *Homerus* πελώριος E 395. κρατερός N 415. *Aeschylus* μέγας Eum. 274. *Sophocles* n. *Euripides* n.
4. *Homerus* κλυτόπωλος E 654 Λ 445 Π 625 [2]). *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* n.
5. *Homerus* πυλάρτης Θ 367 [3]) N 415. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* n.
6. *Homerus* n. *Aeschylus* ἀναπομπός Pers. 641. *Sophocles* n. *Euripides* n.
7. *Homerus* n. *Aeschylus* ἀγησίλαος frg. 398. πολυξενώτατος Suppl. 144. cf. *Sophocles* Oed. Col. 1570 ἐν πύλαισι ταῖσι πολυξένοις [4]). *Euripides* n.

---

[1]) de loco addubitavi pag. 84 sq.

[2]) *Preller*, Griech. Mythol. [3]. I. pag. 660: „Obwohl die gewöhnlichere Vorstellung ihn auf schnellem Wagen mit dunkeln Rossen einherfahrend und seine Beute entführend dachte, in welchem Sinne der Raub der Persephone gedichtet ist, daher Aidoneus in der Ilias wiederholt κλυτόπωλος ... heisst.“ Eiusmodi mortuorum abreptorum cogitationis cum apud Homerum nulla exstent vestigia, quippe qui Plutonem praeter E 397 nunquam ex Orco commemoret egressum ac ne in deorum generalia quidem concilia adhibeat dominum inferorum (cf. Υ 4 sqq.), illud epitheton ad raptum Proserpinae videtur revocandum.

[3]) de loco addubitavi pag. 84 sq.

[4]) ita legendum puto cum *Schneidewinio*, *Nauckio*, aliis pro lib. ἐν πύλαισι φασὶ πολυξέστοις, quod *Dindorfius* et praebet et defendere conatur; sed nequiquam.

D. varia.

1. *Homerus* αὐτὰρ Ἀθήνη | δῦν' Ἄϊδος κυνέην, μή μιν ἴδοι ὄβριμος Ἄρης. E 845. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* n.
2. *Homerus* n. *Aeschylus* μέγας γὰρ Ἅιδης ἐστὶν εὔθυνος βροτῶν | ἔνερθε χθονός. Eum. 274. *Sophocles* n. *Euripides* n.

E. animadvertenda.

1. καὶ πεπτωκότι | τρίτην ἐπενδίδωμι, τοῦ κατὰ χθονὸς | Διὸς νεκρῶν σωτῆρος εὐκταίαν χάριν. *Aeschylus* Ag. 1330 sqq., sed quia Ζεὺς σωτήρ tertia honoratur libatione.
2. ὦ γλυκὺς Ἅιδας *Sophocles* Trach. 1040, sed Hercules dicit, cum intolerabilibus crucietur doloribus.
3. Plutonis nomen (initiali minuscula scribendum) pro morte:

   Homerus n.

   Aeschylus ᾅδην πόντιον πεφευγότες Ag. 638.

   Sophocles ὅταν πέλας ἤδη τὸν ᾅδην εἰσορῶσι τοῦ βίου. Ant. 581[1]).

   Euripides ταχὺς γὰρ ᾅδης ῥᾷστος ἀνδρὶ δυσσεβεῖ. Hippol. 1044. ᾅδην τὸν παραυτίκ' ἐκφυγεῖν Alc. 13. μήποτε ... ὤφελ' ... ἀμφιβαλέσθαι ἀΐδαν ἐπὶ σοί Androm. 1165.

II.

De Proserpina.

A. nomina et appellationes.

1. *Homerus* Περσεφόνεια I 457 I 569 κ 491 κ 509 κ 564 λ 635[2]). *Aeschylus* n. *Sophocles* Elect. 110. *Euripides* Hecub. 134. Suppl. 1024.
2. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* Περσεφόνα Ion. 1445.
3. *Homerus* n. *Aeschylus* Περσέφασσα Choeph. 487. *Sophocles* Ant. 894. *Euripides* Orest. 956.

---

[1]) in edd. Ἅιδην scriptum et ad deum relatum inveni.

[2]) λ 386, quem *Kammerus* recepit versum (cf. l. c. pag. 539), reiciendus est, quia indice mulierum remoto offendunt verba „γυναικῶν θηλυτεράων“.

4. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* Φερσέφασσα Hel. 175.
5. *Homerus* n. *Aeschylus* Δαῖρα frg. 271. *Sophocles* n. *Euripides* n.
6. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* Κόρη Alc. 864. Herc. fur. 607. Hel. 1307. frg. 64.
7. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* κόρη Δήμητρος Alc. 369. Heracl. 408. 601. Herc. fur. 1091.
8. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* Ἅιδου νύμφη Alc. 758.
9. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* ἡ νερτέρα θεός Oed. Col. 1548. *Euripides* ἡ κατὰ χθονὸς νερτέρων θεά Orest. 956.

B. species et habitus.

— — — — — —

C. natura et indoles.

1. *Homerus* ἐπαινή I 457 I 569 [1]) κ 491 κ 564. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* ἄρρητος Hel. 1307. frg. 64.
2. *Homerus* ἀγαυή λ 635 [2]). *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* καλλίπαις Orest. 956.
3. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* ἀφανής Oed. Col. 1556. *Euripides* n.

D. varia.

1. Proserpina una cum Plutone: *Homerus* I 457 I 569 κ 491 κ 564. *Aeschylus* n. *Sophocles* Oed. Col. 1548. 1556. Elect. 110. *Euripides* Alc. 369. 864. Herc. fur. 607. 1091.

Proserpina sola: *Homerus* κ 509. λ 635 [3]). *Aeschylus*

---

1) *Preller*, Griech. Mythol. [3]. I. pag. 657: „Persephone .... Herrin und Führerin der schrecklichen Erinyen (Il. 9, 569 ff.).“ Neque vero quicquam hoc loco exstat de ea re neque de Proserpina Furiarum duce Homerus aut tragici quicquam tradunt neque Proserpina accurate appellatur earum domina, quoniam apud inferos rerum summa est Plutoni.

2) λ 386 invenitur ἁγνὴ Περσεφόνεια. Sed cf. pag. 93 adn. 2.

3) Os Gorgonis Homerum in Orcum transtulisse ex hoc loco effecerunt *Spielmannus*, qui dicit l. pag. 24 adn. 2 c. pag. 33: „Es versteht sich von selbst,

Choeph. 487. frg. 271. *Sophocles* Ant. 894. *Euripides* Alc. 758. Hecub. 134. Hel. 175. 1307. Heracl. 408. 601. Ion. 1445. Orest. 956. Suppl. 1024. frg. 64.

2. raptus Proserpinae commemoratur non nominato raptore apud *Euripidem* Hel. 1301 sqq.

III.

De Furiis.

A. nomina et appellationes.

1. *Homerus* Ἐρινύες I 454 I 571 O 204 T 87 T 259 T 412 β 135 ρ 475 υ 78. *Aeschylus* Ag. 59. 437. 616. 712. 943. 1063. 1135. 1378. 1526. Choeph. 279. 398. 574. 639. Eum. 329. 338. 495. 919. Pers. 516. Sept. c. Theb. 71. 560. 688. 713. 777. 846. 864. 953. 967. 983. *Sophocles* Oed. Col. 1299. 1434. Ant. 603. 1075. Ai. 837. 843. 1034. 1390. Elect. 112. 276. 1080. Trach. 809. 895. 1051. frg. 516. *Euripides* Herc. fur. 1063. Iphig. Taur. 79. 916. Med. 1378. Orest. 228. 254. 575. 1381. Phoen. 255. 1312. 1507. Suppl. 838. Troad. 459.
2. *Homerus* n. *Aeschylus* Κῆρες Sept. c. Theb. 983. *Sophocles* n. *Euripides* Elect. 1248. Herc. fur. 862 (Ταρτάρου).
3. *Homerus* n. *Aeschylus* Ἀραί Eum. 400. Sept. c. Theb. 71. *Sophocles* n. *Euripides* n.
4. *Homerus* n. *Aeschylus* n.[1]). *Sophocles* Εὐμενίδες Oed. Col. 42. 486. *Euripides* Orest. 38. 313. 828.

---

dass in der Unterwelt die Gorgo nicht fehlen darf; denn die «Schreckliche» hat doch nur im Orte des Schreckens ihren eigentlichen Wohnsitz λ 634", et *Prellerus*, apud quem legitur (Griech. Mythol. [3]. I. pag. 657): „Persephone ... die Inhaberin des versteinernden Medusenhauptes (Od. 11,635)." Verum illud „Γοργείην κεφαλήν" (λ 634) non ad verbum sed de una aliqua formidine dictum esse iam veteres scholiastae cognoverunt. Cf. *Nitzsch* l. c. III. pag. 357. In Homeri enim Orcum nec quomodo nec per quem nec quorsum pervenerit caput Medusae potest intellegi.

[1]) *Weilii* coniecturam probandam puto, qui et Eum. versibus, quos excidisse post vs. 982 apertum est, nomen Eumenidum pronuntiatum fuisse suspicatur et vs. 998 legendum proponit: σπονδᾷ δ' ἐστὲ πανευμενίδες θεῶν, cf. *Weilii* adnn. ad. Eum. vss. 980—982 et 998.

5. *Homerus* n. *Aeschylus* θεαί Eum. 118 (κατὰ χθονός). *Sophocles* Oed. Col. 40. 90. 1568 (χθόνιαι). *Euripides* Androm. 958. Elect. 1248. 1266. Iphig. Taur. 919 (ἀνώνυμοι). Orest. 251. 310.
6. *Homerus* n. *Aeschylus* μεγάλαι δαίμονες Eum. 897. *Sophocles* n. *Euripides* n.
7. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* ἐνέρων ἱερίαι Orest. 251.
8. *Homerus* n. *Aeschylus* κόραι Eum. 70. 758. 786. *Sophocles* Oed. Col. 40. *Euripides* Orest. 246. 400.
9. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* ἀεὶ παρθένοι Ai. 835. *Euripides* n.
10. *Homerus* n. *Aeschylus* παλαιαὶ παῖδες Eum. 71. *Sophocles* n. *Euripides* n.
11. *Homerus* n. *Aeschylus* πολυκρατεῖς ἀραὶ φθινομένων Choeph. 402. *Sophocles* n. *Euripides* n.
12. *Homerus* n. *Aeschylus* δεινὴ δράκαινα Eum. 131. *Sophocles* n. *Euripides* Ἅιδου δράκαινα Iphig. Taur. 278.
13. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* θεῶν ποδώκεις βλάβαι Ant. 1104. *Euripides* n.
14. *Homerus* n. *Aeschylus* κύνες Choeph. 1052 (ἔγκοται). *Sophocles* n. *Euripides* Elect. 1336.
15. *Homerus* n. *Aeschylus* ὦ παντομισῆ κνώδαλα, στύγη θεῶν Eum. 615. *Sophocles* n. *Euripides* n.

B. species et habitus.

1. *Homerus* n. *Aeschylus* θαυμαστὸς λόχος γυναικῶν Eum. 48. *Sophocles* n. *Euripides* n.
2. *Homerus* n. *Aeschylus* Γοργόνων δίκην Choeph. 1046. Γοργόνες Eum. 50. *Sophocles* n. *Euripides* n.
3. *Homerus* n. *Aeschylus* ῥέγκουσι δ' οὐ πλατοῖσι φυσιάμασιν Eum. 55. *Sophocles* n. *Euripides* πῦρ πνέουσα καὶ φόνον Iphig. Taur. 280.
4. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* δρακοντώδεις Orest. 246.
5. *Homerus* n. *Aeschylus* πεπλεκτανημέναι πυκνοῖς δράκουσιν Choeph.

1048. *Sophocles* n. *Euripides* δειναῖς ἐχίδναις ἐστομωμένη Iphig. Taur. 279.

6. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* χειροδράκοντες Elect. 1339.

7. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* πολύχειρ Elect. 488. *Euripides* n.

8. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* πολύπους Elect. 488. χαλκόπους Elect. 491. τανύπους Ai. 837. *Euripides* n.

9. a. *Homerus* n. *Aeschylus* ἄπτεροι Eum. 53. 251. *Sophocles* n. *Euripides* n.

9. b. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* πτεροῖς Iphig. Taur. 281. πτεροφόροι Orest. 309.

10. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* νυκτὶ προσφερεῖς Orest. 400.

11. a. *Homerus* n. *Aeschylus* μέλαινα Eum. 54. Sept. c. Theb. 954. 966. *Sophocles* n. *Euripides* μελαγχρῶτες Orest. 313.

11. b. *Homerus* n. *Aeschylus* κελαιναί Ag. 436. *Sophocles* n. *Euripides* χρῶτα κελαιναί Elect. 1339.

11. c. *Homerus* n. *Aeschylus* φαιοχίτωνες Choeph. 1047. μελανείμονες Eum. 360. μελάναιγις Sept. c. Theb. 687. *Sophocles* n. *Euripides* n.

12. *Homerus* n. *Aeschylus* ἐκ δ' ὀμμάτων λείβουσι δυσφιλῆ λίβα Eum. 56. κἀξ ὀμμάτων στάζουσιν αἷμα δυσφιλές Choeph. 1056. *Sophocles* δεινῶπες Oed. Col. 84. *Euripides* γοργῶπες Orest. 251. κυνώπιδες Elect. 1248. Orest. 250. αἱματωποί Androm. 958. Orest. 246.

C. natura et indoles.

1. *Homerus* n. *Aeschylus* βδελύκτροποι Eum. 54. κατάπτυστοι Eum. 70. *Sophocles* n. *Euripides* n.

2. *Homerus* στυγεραί I 454 β 135 υ 78[1]). *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* n.

3. *Homerus* n. *Aeschylus* δειναί Eum. 131. *Sophocles* n. *Euripides* Orest. 251. Elect. 1248. 1266.

---

[1]) δασπλῆτις ο 234, quod quid significet alii aliter explicaverunt, non recepi, quia cum *Kammero* (l. c. pag. 563 sqq.) locum ο 221—286 interpolatum existimo.

4. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* ἔμφοβοι Oed. Col. 39. *Euripides* n.
5. *Homerus* n. *Aeschylus* μάργοι Eum. 69. *Sophocles* n. *Euripides* n.
6. *Homerus* n. *Aeschylus* φθερσιγενεῖς Sept. c. Theb. 982. *Sophocles* n. *Euripides* n.
7. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* λωβητῆρες Ant. 1074. *Euripides* n.
8. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* πάνθ' ὁρῶσαι Oed. Col. 42. ἀεὶ ὁρῶσαι πάντα τὰν βροτοῖς πάθη Ai. 836. *Euripides* n.
9. *Homerus* n. *Aeschylus* μνήμονες Eum. 366 (κακῶν). Pers. 516. *Sophocles* Ai. 1390. *Euripides* n.
10. *Homerus* n. *Aeschylus* κλυτά Choeph. 639. *Sophocles* n. *Euripides* n.
11. *Homerus* n. *Aeschylus* βυσσόφρων Choeph. 639. *Sophocles* n. *Euripides* n.
12. *Homerus* n. *Aeschylus* καμψίπους Sept. c. Theb. 777. *Sophocles* ταχεῖαι Ai. 843. ποδώκεις Ant. 1104. *Euripides* δρομάδες Orest. 309.
13. *Homerus* ἠεροφοῖτις I 571. T 87. *Aeschylus* n. *Sophocles* n. *Euripides* n.
14. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* ποίνιμοι Ai. 843. *Euripides* n.
15. *Homerus* n. *Aeschylus* ὑστερόποινος Ag. 58. *Sophocles* ὑστεροφθόροι Ant. 1074. *Euripides* n.
16. *Homerus* n. *Aeschylus* πολύστονος Suppl. 838. *Sophocles* n. *Euripides* δεινῶν ὀδυνῶν καρπὸν ἔχουσαι Elect. 1340.
17. *Homerus* ἀμείλιχον ἦτορ ἔχουσα I 572. *Aeschylus* δυσπαρήγοροι Eum. 368. δυσάρεστοι Eum. 896. *Sophocles* n. *Euripides* n.
18. *Homerus* n. *Aeschylus* μεγάλαυχοι Sept. c. Theb. 982. *Sophocles* n. *Euripides* n.
19. *Homerus* n. *Aeschylus* μεγασθενής Sept. c. Theb. 71. 954. 967. *Sophocles* n. *Euripides* n.
20. *Homerus* n. *Aeschylus* σεμναί Eum. 367. 995. *Sophocles* Oed. Col. 90. 458. Ai. 837. Elect. 112. *Euripides* Orest. 402.
21. *Homerus* n. *Aeschylus* πότνιαι Eum. 916. Sept. c. Theb.

864. 953. 966. *Sophocles* Oed. Col. 84. *Euripides* ποτνιάδες Orest. 310.

22. *Homerus* n. *Aeschylus* n. *Sophocles* γλυκεῖαι Oed. Col. 106. *Euripides* n.

D. varia.

1. de genere.
Homerus n. *Aeschylus* Νυκτὸς αἰανῆς τέκνα Eum. 399. cf. 322. 720. 758. 786. 811. 836. 989. *Sophocles* Γῆς τε καὶ Σκότου κόραι Oed. Col. 40. παῖδες ἀρχαίου Σκότου Oed. Col. 106. σεμναὶ θεῶν παῖδες Elect. 112. *Euripides* n.

2. de numero.
Praeterquam quod *Euripides* τρεῖς esse dicit Orest. 400. Troad. 459 et apud *Homerum* et apud tragicos modo una modo plures inveniuntur.

3. de persequendi ratione.
Eos, a quibus poenas repetiturae sunt, sicut venatores feras agitant. *Homerus* n. *Aeschylus* Eum. 133 sqq. 150 sq. 231. 247 sqq. *Sophocles* n. *Euripides* Iphig. Taur. 79 sq. 916 sq. Orest 828.

IV.

De Mercurio.

Mercurius inferorum deus ab *Homero* ignoratur; alteram enim necyiam, ubi umbras in Orcum prosequitur, subditivam esse constat.

Aliter apud *Aeschylum*. Deus appellatur Ἑρμῆς χθόνιος Choeph. vss. 1. 117. 715, νύχιος ibid. 715, κῆρυξ μέγιστε τῶν ἄνω τε καὶ κάτω ibid. 116. Officium eius inde apparet, quod chorus Choeph. vs. 615 pro „moritur“ dicit „κιγχάνει δέ νιν Ἑρμῆς“, et ex frg. 267 Ἑρμᾶν μὲν πρόγονον τίομεν γένος οἱ περὶ λίμναν. Non modo autem deduci ad inferos a Mercurio defunctos, sed etiam ex Orco non sine eius permissu in lucem emitti testificatur Persarum senum chorus, qui precibus invocans φθιμένων πομποὺς una cum Terra et rege inferno Mercurium nominat (Pers. 617 sqq.). Quin etiam in ultione Agamemnonis necis exsequenda a deo

auxilium implorat Electra (Choeph. 116), Orestes (ibid. 1 sq.), chorus (ibid. 715 sqq.).

Sophocles deum et ipse cognitum habet. Electra Mercurium χθόνιον una cum ceteris Orci numinibus precatur, ut poenas expetant a patris percussoribus (Elect. 111); Aias in gladium incumbens πομπαῖον Ἑρμῆν χθόνιον orat, ut se bene consopiat in aeternum (Ai. 832); Oedipus moribundus dicit: τῇδε ... μ' ἄγει | Ἑρμῆς ὁ πομπὸς ἥ τε νερτέρα θεός (Oed. Col. 1548).

Ab *Euripide* Mercurius infernus semel commemoratur Alc. vs. 755, ubi chorus reginam mortuam voto prosequitur: χαῖρε· πρόφρων σε χθόνιός θ' Ἑρμῆς | Ἅιδης τε δέχοιτ'. Haec dei remotio quomodo compensetur, infra explicabitur.

V.
De Thanato.

Homerus Θάνατον deum non ignorat. Eum fratrem esse Somni apparet ex Ξ 231 Π 454. 672. 682. Sed unum eius officium, cuius mentio fit Π 454. 672. 682, non versatur in rebus infernis: Iovis enim filium Sarpedonem a Patroclo interfectum in Lyciam patriam reportare una cum Somno deo iubetur. Quod ob munus πομπός vocatur Π 671, non ut Mercurium modo diximus propter mortuorum in Orcum deductionem: *Homerus* de Thanati cum Orco coniunctione omnino nihil tradit.

Aeschylus quid de deo censuerit parum patet, cum duobus tantum fragmentis commemoretur, quorum alterum (frg. 250) Θάνατον Παιᾶνα solum esse insanabilium malorum medicum docet, alterum (frg. 156) ad eius invidiam et inexorabilitatem pertinet.

Apud *Sophoclem* a Philocteta (Phil. 797 sq.) et ab Aiace (Ai. 854) Thanatus invitatur, ut veniat. In Orco habitari Θάνατον inde cogi licet, quod et Aiax se ibi eum inventurum et allocuturum esse confirmat (Ai. 854) et ut Oedipodi de vita migranti Plutonis canem Thanatus removeat chorus precatur Oed. Col. vs. 1574 sqq.[1]).

---

[1]) Sunt qui locum ad ipsum Plutonis canem revocent, in his *Ellendtius*

In *Euripidis* fabulis de deo exstant haec. Apollo eum inimicum hominibus, dis odiosum esse narrat (Alc. 62). Nihilo setius a moribundis invocatur (cf. Hippol. vs. 1364 καί μοι Θάνατος Παιὰν ἔλθοι). In tumulis mortuorum ad sanguinem inferiarum hauriendam paulisper moratus (Alc. 857) Θάνατος prosequitur umbras εἰς Ἅιδου δόμους, quare appellatur ἱερεὺς θανόντων (Alc. 25), traditque Plutoni (Alc. 884). Praeterea ab Hercule dicitur et ἄναξ μελάμπεπλος νεκρῶν (Alc. 855) et δαιμόνων ὁ κοίρανος (Alc. 1143).

Praeter deos, de quibus modo egimus[1]), noti sedis inferorum incolae portitor Orci et Plutonis canis sunt. Quos sequitur ut tractemus.

De Charonte.

Ab *Homero* ignorari portitorem Orci nec minus a *Sophocle* inter omnes constat.

De *Aeschylo* dubitatur, sed nulla iusta causa, cum aliter vel intellegendi sint vel perfacile possint intellegi duo illi loci, qui ad Charontem spectare putantur. Quorum alter exstat Sept. c. Theb. vs. 834 sqq.:

ἈΛλὰ γόων, ὦ φίλαι, κατ' οὖρον
ἐρέσσετ' ἀμφὶ κρατὶ πόμπιμον χεροῖν
πίτυλον, ὃς αἰὲν δι' Ἀχέροντ' ἀμείβεται

(Lexic. Sophocl. ed. alt. cur. Genthe. s. voc. „Τάρταρος"). Sed Thanatum intellegendum esse et epitheton „αἰὲνυπνος" et parentum nomina (ὦ Γᾶς καῖ καὶ Ταρτάρου vs. 1574) demonstrant, cum canis Orci natus esse tradatur ex Echidna immani (Trach. 1099).

[1]) *Warmboldius* l. c. pag. 20 inter inferos esse dicit Rabiem, Urani et Noctis filiam, documento usus Herc. fur. vs. 830. Sed lectionem exhibet, quam unde petiverit nequiquam studui exquirere: πορεύσασ' δ' Ἀχερούσιον πόρον. Sic legi non posse aeque patet atque verba finita γνῷ et μάθῃ de Hercule intellegenda. Libri praebent:

ὡς ἂν πορεύσας δι' Ἀχερούσιον πόρον
τὸν καλλίπαιδα στέφανον αὐθέντῃ φόνῳ
γνῷ μὲν τὸν Ἥρας οἷός ἐστ' αὐτῷ χόλος
μάθῃ δὲ τὸν ἐμόν.

Nihil igitur de Rabiei domicilio his versibus continetur.

τὰν μελανόκροκον ἀγάστονον θεωρίδα,
τὰν ἀστιβῆ 'πόλλωνι, τὰν ἀνάλιον,
πάνδοκον εἰς ἀφανῆ τε χέρσον.

Ac primum quidem quaerendum est, quid sit vs. 837 θεωρίς. Ceteris de Charontis navi cogitantibus *Godofr. Hermannus Hesychii* glossa usus θεωρίδα interpretatus est viam ad inferos ducentem (cf. Aeschyl. trag. ed. alt. vol. II. pag. 343 sq.), ad quam unam conveniunt epitheta ἀστιβῆ 'πόλλωνι et ἀνάλιον, non inconveniens est μελάγκροκον (quod *Weilio* transponenti in μελανόκροκον mutare propter metrum placuit), si ad umbras in via incedentes refertur, solum disconvenit vs. 837 librorum ναύστολον ab *Hermanno* quoque receptum. Sed in permagna scripturae huius loci corruptione non est illicitum in dubium vocare lectionem ναύστολον: quo concesso *Weilii* coniectura ἀγάστονον valde probanda eaque lectione recepta nec Charontis navis neque ulla navigationis cogitatio sententia loci continetur.

Non aeque facile portitoris inferni opera caretur, si Clytaemnestra dicit, Iphigeniam precibus adituram esse patrem πρὸς ὠκύπορον πόρθμευμ' ἀχέων (Ag. 1502 sq.). Tamen ut transvectio quaedam necessaria est, ubi flumina inveniuntur, ita umbris in transvectione non est opus nec navi nec portitore, nisi quis mente utitur usque adeo ieiuna, ut non possit concoquere poetarum condimenta. Quid? quod ne *Pindarus* quidem, a quo permagna exornari licentia poetica Orcum supra (pag. 29) dictum est, cognitum habet Charontem? Praeterea autem ne obliviscamur, a Mercurio infero mortuos in sedem Plutonis prosequi apud *Aeschylum:* nonne igitur supervacaneum tribuendum erat officium Charonti?

Atque hoc quidem argumentum *Euripidis* exemplo confirmatur. Is enim Mercurium inferorum deum prope ignorans et ad Thanatum eius defert munera et ad nautam Orci, qui τὸν ἐς 'Αίδα μελαγχρῶτα πορθμὸν (Hecub. 1083) transportat umbras, *Homero, Pindaro, Aeschylo, Sophocli* incognitum, Charontem. Moribunda igitur Alcestis exclamat:

ὁρῶ δίκωπον ὁρῶ σκάφος
ἐν λίμνᾳ· νεκύων δὲ πορθμεὺς
ἔχων χεῖρ' ἐπὶ κοντῷ Χάρων μ'

ἤδη καλεῖ· τί μέλλεις;
ἐπείγου· σὺ κατείργεις. τάδε τοί με
σπερχόμενος ταχύνει.

(Alc. 260 sqq.); Admetus si Orphei instructus esset canendi arte ab inferis se repetiturum coniugem confirmans dicit:

καί μ' οὔθ' ὁ Πλούτωνος κύων
οὔθ' οὑπὶ κώπῃ ψυχοπομπὸς ἂν Χάρων
ἔσχον, πρὶν εἰς φῶς σὸν καταστῆσαι βίον.

(ibid. 371 sqq.); chorus denique Alcestide defuncta cantat:

ἴστω δ' Ἀΐδας ὁ μελαγχαίτας
θεός, ὅς τ' ἐπὶ κώπᾳ
πηδαλίῳ τε γέρων
νεκροπομπὸς ἵζει
πολὺ δὴ πολὺ δὴ γυναῖκ' ἀρίσταν
λίμναν Ἀχεροντίαν
πορεύσας ἐλάτᾳ δικώπῳ.

(ibid. 452 sqq.); eodemque pertinet, quod senes Thebani mortem imminere Herculis liberis ita reddunt:

Quodsi in hac disputatione id ipsum accurate examinandum mihi proposui, quo ex fonte unumquodque Liciniani fragmentum manaverit, haud ignoro hanc quaestionem esse difficillimam cum propter fragmentorum brevitatem tum propterea, quod eae ipsae res, quae his fragmentis traduntur, alibi perraro nobis occurrunt, ac de quibusdam rebus prorsus desperandum esse videtur. Tamen quod haec quaestio maxime necessaria est ei, qui de hoc scriptore et inprimis de fide eius historica certum atque rectum facere vult iudicium, laborem pro virili parte subire animum induxi.

Priusquam autem ad ipsam quaestionem accedamus, necessario de tempore operis Liciniani nobis est disputandum atque incipiendum a scriptoris nomine.

Compluribus codicis paginis inscriptum est nomen 'Liciniani', uno loco (fol. IX r) Georg. Henr. Pertz, qui primus codicem inspexerat,[1]) legit 'Grani Liciniani' atque ibidem putavit esse praenominis vestigia „a ductibus litterarum GAI haud multum diversa, quae tamen accuratius distingui non poterant“. Filius non vidit nisi 'Liciniani' (cf. ed. Bonn. p. XIII et 12). Sed huic rei non magnum momentum est tribuendum. Nam etiam fol. VIII r, ubi Pertz pater legit 'Liciniani', filius iam nihil potuit discernere, quod quomodo factum sit, filius ipse ad illum locum (fol. IX r) explicare studuit (cf. ed. Bonn. p. 12 adn.). Mirum sane est scriptoris nomen uni paginae aliter inscribi atque ceteris. Tamen, cum G. H. Pertz codicum legendorum peritissimus nomen Granii

---

[1]) Vide praef. ed. Bonn. p. VII sqq. — A Bonnensibus principalis foliorum series, quam Pertz non cognoverat, certo inventa est. Itaque Bonn. ed. ubique sequemur.

se identidem atque perspicue vidisse testetur,[1]) non recte fecit D. Comparetti in Mus. Rhen. XIII (1858) p. 457 sqq. et Archiv. stor. Ital. X (1859) p. 87 sqq., quod firmissimo illo testimonio neglecto solum nomen Liciniani pro certo habuit. Adde quod cum paucis tantum foliis titulus legi possit, satis temere concludas librarium in nomine inscribendo semper eandem rationem esse secutum. Ergo nomen scriptoris fuisse Granium Licinianum mihi persuasum est. At praenomen Gai incertum esse ex Pertzii verbis supra allatis elucet.[2])

Iam perlustremus aliorum testimonia: Granius Licinianus quidam commemoratur a Macrobio Sat. I, 16, 30 'apud Granium L. libro secundo' et a Servio ad Verg. Aen. I, 737 'Grani Liciniani cenae suae*'. Sed ea, quae et Macrobius et Servius afferunt, spectant ad antiquitates (cf. fr. I et II apud Bonn. p. 46) neque ex opere historico sumpta esse videntur. Accedit, quod Macrobius Granium Licinianum testatur in libro secundo narrasse lege Hortensia anni 467 (287) nundinas fastas esse factas; historias autem Liciniani verisimile est initium cepisse a Roma condita (cf. infra). Unde manifestum est in altero earum libro non potuisse mentionem fieri illius legis Hortensiae. His de causis Macrobium et Servium non ex eo Liciniani libro, cuius fragmenta nobis in manibus sunt, hausisse confitemur. Attamen si consideres horum quoque fragmentorum scriptorem libenter afferre res ad antiquitates pertinentes, id quod infra pluribus exponemus, facile assentiaris Pertzio et editoribus Bonn., qui hunc eundem putabant esse atque illum a Macrobio et Servio commemoratum, quamquam haec quaestio ad liquidum confessumque perduci vix potest.[3]) Quod si recte

[1]) „Nomen Grani pater mense Octobri anni 1856 (re vera 1855) per XV fere dies sine ullo dubio legit."

[2]) Commemorat quidem Pertz filius praef. p. VII adn. legisse se fol. IV u 'C. Liciniani', sed in textu cum patre cognomen tantum posuit. Quare hac de re iure dubitari puto.

[3]) Et Granii et Liciniani saepius apud scriptores et in inscriptionibus occurrunt (cf. De-Vit, Onom. III p. 271, IV p. 133, C. I. L.), utrumque autem nomen coniunctum duobus tantum locis supra allatis. At Licinii Graniani ex inscriptionibus noti nobis sunt (C. I. L. II 4225 sq., 4609; X 5670).

ab Hadriano perfecto.[1]) Quam argumentationem ut subterfugiant Bonnenses ab epitomatore haec verba inculcata esse statuunt.

Accedit illud iudicium de Sallustio factum (fol. IV r, ed. Bonn. p. 42): 'Sallusti opus nobis occurrit, sed nos ut instituimus moras et non urgentia omittemus. Nam Sallustium non ut historic(um) a[i]unt,[2]) sed ut [o]ratorem legendum. Nam et temp[ora] reprehendit sua e[t de]licta carpit et cont[iones][3]) in[s]erit[4]) et dat in ce[nsum] loca, montes, flum[ina] et hoc genus amo[ena][5]) et culta,[6]) et conpa[rat] disserendo.' Quae verba, etiamsi neglegimus, quod edd. Bonn. uncis incluserunt 'nam Sallustium — legendum', non videntur a Sallustii aequali scripta esse, quae erat Pertzii et Bonn. (p. XV) sententia. Immo aequalem H. Brunn in Comparettii disputatione (Mus. Rhen. XIII) primus ostendit non dicturum fuisse 'tempora reprehendit sua' sed 'tempora reprehendit nostra'. Deinde Sallustii aequalis ipse rerum narrationi orationes inseruisset neque scriptorem historicum vituperasset, quod excursus intexeret geographicos (cf. Linker p. 635 sq.). Postremo verba 'nam Sallustium non ut historicum aiunt, sed ut oratorem legendum' non primo ante Christ. n. saeculo, sed ab eo tantum scribi potuisse,

[1]) Keil quidem (in Fleckeis. ann. phil. LXXVII p. 647) et Madvig p. 408 (in additamento ad primam quaestionem anno 1874 facto), qui legunt 'permanserat' (cod. 'permanse'), hanc vocem putant referendam esse ad Antiochi IV Epiphanis, de quo hoc fragmento agitur, tempora atque sic censent esse pergendum: „tum Antiochus, quod coeperat Pisistratus, studuit perficere". Sed iam antea dictum est 'Athenis Olympion—exstruere instituerat' (cf. textum cap. I. praemissum). Cur Granius eandem rem bis commemoraverit, non intellegitur.

[2]) 'historica (historici?) sunt' cod., 'historic[u(m) scrib]unt' Bonn., 'h. puto' Madvig, Keil, C. G. Schmidt (Phil. XIII p. 226), 'h. sentio' Linker, 'historic(um) a[i]unt' ten Brink (Phil. XII p. 590), quod litteris traditis simillimum est.

[3]) 'contiones' Linker et Madvig, 'convitia' Bonn.

[4]) 'ingerit' cod., 'inserit' Madvig et Francken.

[5]) 'amovenda' Pertz, 'alia' Bonn., 'amat' Francken, 'amoena' Keil.

[6]) 'cultae' cod., 'culpat' Mommsen, 'culta' Keil, 'culte conparat' omisso insequenti 'et' Jordan (Herm. VI p. 210).

„qui Frontonem oratoresque illos cognosset, qui ad Sallusti Crispi regulam verba sua exigere solebant", ipsi Bonn. (p. XVIII) iam intellexerunt atque ob id ipsum hoc enuntiatum ascripserunt epitomatori. Sed cum illud enuntiatum, quod est de Iovis templo confecto, nobis non praebuerit ansam defendendi, nunc gaudemus nos posse demonstrare, verba a Bonn. notata suum locum habere. Primum enim, quod infra contiones commemorantur et nostro loco Sallustius dicitur orator, artissime inter se cohaerent. Tum verba 'nam et tempora reprehendit sua' vix annecti possunt verbis 'moras et non urgentia omittemus', nisi enuntiatum, quo iudicium fiat de Sallustio, intericias vel 'ille' quidem voculam addas (cf. Keil p. 640). Itaque si necessarium est illa verba, quae epitomatoris esse contendebatur, ab Liciniano ipso scripta esse, concludendum nobis est hunc scripsisse Frontonis demum temporibus vel postea. Ei quoque, qui Granium Licinianum non diversum putaverit a Granio Flacco, hoc loco considerato persuasum erit rem ita se non habere. Nam hoc argumentum quomodo possit debilitari nescio, nisi forte quis totum de Sallustio iudicium epitomatoris esse censet.[1])

Iam in scriptoris tempore definiendo nobis quaerendum est, ante quem terminum necessario ille vixerit. Qua in re adiuvamur duobus locis Solinianis, quorum altero p. 37, 12 ed. Mommsen (fr. III) nomen Messapiae explicatur secundum Licinianum, altero p. 44, 18 (fr. VII) scriptor secundum Granium narrat de cicadis ad Rhegium mutis. Haec nomina coniuncta eundem antiquarium significare putaverim, quem iam apud Macrobium et Servium repperimus et ab hoc, de quo disputamus, Granio Liciniano historico non diversum duximus. Ac verisimillimum est verba illa allata non ab ipso Solino, qui sua sponte parcissima tantum addere solebat (cf. Mommsen Sol. p. XI.), inserta sed ex fonte

[1]) Ut hic edd. Bonn. ubicunque epitomatoris additamenta cognoverunt, decepti sunt. De eo loco, quo maxime sententia eorum nititur (fol. VIII r, ed. Bonn. p. 20 B) cap. II. accuratius disseram, cum hic locus extra narrationis contextum considerari non possit. Atque eam opinionem, Liciniani fragmenta non esse nisi epitomen, saepius occasione oblata reiciam.

transscripta esse, qui fons est „chorographia Pliniana" quae a Mommseno appellatur, i. e. Plinii naturae historia ad chorographiae formam redacta et excerptis aliorum auctorum chorographorum et chronographorum aucta.[1]) Hac chorographia autem cum Apuleius (in Florid.) Marci Aurelii temporibus iam usus sit (cf. Mommsen l. c. p. XXII sqq.), fieri non potest, quin Licinianus fuerit ante Apuleium.

Itaque ex omnibus, quae de scriptoris tempore disseruimus, efficitur, ut ultima Hadriani aetate et Antonini Pii floruisse existimandus sit. Atque in iudicio illo de Sallustio facto verba 'nam S. non ut historicum aiunt' generaliter dicta optime intelleguntur, si Licinianum de aequalium studiis cogitasse putamus. Neque illa de Iovis templo ab Hadriano perfecto narratione iam offendimur, quam scriptorem aequalem novae rei admiratione affectum operi inseruisse tibi persuadeas. Quibus duabus rebus confirmatur non iniuria nos locis illis Solinianis ita, ut secundum Mommsenum (Sol. p. XXVIII) fecimus, in argumentatione nostra usos esse.

Frontonis tempore, quo industria scriptores formas et verba antiqua quaerebant priscosque imitabantur, Licinianum fuisse postremo eo probatur, quod apud hunc quoque talia reperiuntur,[2]) velut: auscultare (p. 16 B 10), quo libenter utuntur Plautus et Terentius (semel tantum Cic. pro Rosc. Amer. 36, 104).

Derepente (p. 20 A 18), quod a Catone usque ad Suetonium apud scriptores orationis solutae non occurrit; nam apud Cic. Lig. 5, 14, Liv. XXI, 41, 6, Tac. Hist. I, 63 non recte legitur, quibus locis optimi codices 'repente' praebent.

Ariobardianen (p. 34 A 19) pro Ariobarzanen. Priscian. I, 31 testatur haec: 'antiquissimi quoque Medientius dicebant

[1]) Illis quoque locis, quos attulimus, fundamentum narrationis est Plinii naturalis historia (III, 11, 99 et XI, 27, 95) aucta additamentis ex Liciniano petitis.

[2]) Genus sermonis peius esse quam quod Caesaris Ciceronisque aequali tribuatur, vix est quod admoneam. Madvig (p. 405) iam nonnulla annotavit, quae sine ulla dubitatione posterioris temporis insignia habenda sunt.

pro Mezentius' cf. Brambach „Die Neugestaltung der lat. Orthographie“ (Lips. 1868) p. 282.[1])

Archelavo et Archelavus (p. 32 B 12 et 22) inserto digammate cf. Menolavus in C. I. L. I 1213, Menelavos II 2135, Oinomavos I 60, Archelavos VI 8730, Nicolavus X 3073, VI 22970, Menelavus Plaut. Bacch. 946 (in cod. B.).[2])

Iam breviter consideremus, quid censendum sit de ratione, qua Comparetti et Madvig scriptoris tempus determinare studuerunt. Ille quidem historicum sub Domitiano imperatore fuisse conicit, cum eum eundem esse statuat atque Licinianum quendam, quem Martialis I 49 et 61 laudat ut aequalem scriptorem praeclarissimum in patria urbe Bilbili florentem. Ab hoc autem Comparetti seiungere vult et Granium Flaccum et Granium Licinianum a Macrobio et Servio appellatum. Is Licinianus, quem nominat Martialis, saepe idem existimatur atque Valerius Licinianus, qui occurrit apud Plin. ep. 4, 11 (cf. Teuffel 326, 15). At nos putamus historico nomen fuisse Granio Liciniano. Sed etiamsi quis nomen gentile (et Valerii et Granii) ut incertum neglegat, tamen nomen Liciniani non tam rarum est, ut illos inter se non diversos esse necessarium vel verisimile sit. Accedit, quod supra intelleximus Licinianum posteriore, quam Comparetti putat, tempore floruisse. Quamquam si Comparettium sequimur, fieri potest, ut illud de Sallustio iudicium Domitiani quoque temporibus factum sit, cum Frontoniani non primi Sallustii operibus studerent, quod ut demonstret affert Senec. Contr. III, 3, Mart. XIV, 191, Quint. inst. X, 1. Sed id ipsum, quod Sallustius dicitur orator, mea quidem sententia nos deducit ad oratorem Frontonem.[3]) Praeterea

---

[1]) Sane multo posteriores quoque latini scriptores ut Script. hist. Aug. interdum „di“ scripserunt pro „z“ (fortasse inde a Frontonis tempore?) cf. Schneider, Lat. Gramm. I p. 385 et Corssen, Aussprache u. Vocalism. I² p. 216.

[2]) De formis Ariobardianen et Archelavus Teuffel iam monuerat.

[3]) Cf. epist. ad M. Caesarem IV, 3 p. 62 ed. Naber: 'Oratorum post homines natos unus omnium M. Porcius eiusque frequens sectator C. Sallustius'.

Comparetti locum illum neglexit, quo Iovis templi ab Hadriano confecti fit mentio.

Madvig denique Licinianum tertio vel etiam quarto p. Chr. n. saeculo fuisse iudicat. Ex locis Solinianis quos initio omiserat, postea (p. 407 adn.) non idem conclusit atque Mommsen, quem nos supra secuti sumus, sed censet potius Solinum ipsum Licinianum inspexisse, non ex suo fonte illa verba transscripsisse. Haec de Liciniani aetate sententia cohaeret cum alia eiusdem viri docti opinione, qua Licinianum arbitratur epitomen tantum in usum scholarum ex Livii historiis fecisse et ex suo nonnulla tantum addidisse, quae ad antiquitates pertinerent. Hanc opinionem a vero longe abesse demonstraturum me spero.

Nos igitur in eo perseveramus, ut Granium Licinianum censeamus medio altero p. Chr. n. saeculo ponendum esse. Praeterea de ipso scriptore nihil nobis est notum.[2])

Quoniam Liciniani tempus satis accurate determinavimus, reliquum est, ut de eius opere pauca praemittamus. Fragmenta nobis servata, ut ex foliorum inscriptionibus intellegitur, sunt ex libris XXVI, XXVIII, XXXV, XXXVI. Quo de tempore libri XXVI fragmentum (fol. XI) sit, dici non potest; libro XXVIII res anno 591 (163), libro XXXVI anno 676 (78) gestae erant expositae. Itaque qui intercedebant libri fere decem annorum spatium videntur amplexi esse. Si tota materies pari modo in reliquos libros dispertita fuisset, opus initium cepisset a regibus expulsis; sed huius rei exemplum apud rerum Romanarum scriptorum invenimus nullum. Praeterea vel per se verisimile est prioris temporis facta non tam copiose descripta fuisse quam posterioris. Itaque Pertzium rectum vidisse arbitrabimur, qui rerum narrationem ab urbe condita censet coepisse. Quod ad finem operis attinet, editores cum scriptorem non multo post Sallustii historias publici iuris factas vixisse censeant, eum putant narrationem usque ad Caesaris mortem deduxisse. Sed cum illud falsum viderimus, de fine operis omnino non possumus coniecturam facere. Nescimus, utrum Licinianus res Romanas usque ad

---

[1]) Coniecturam de patria eius invenis cap. I, 3.

Caesaris mortem vel ad pugnam Actiacam vel ad a. 727 (27), quem annum multi putabant principatus esse initium, narraverit an in rebus describendis ad ipsum principatum descenderit. Quo fit, ut ne de librorum quidem numero, quem Pertz voluit esse XL, quidquam possit dici.[1])

De consilio et ratione operis ipse scriptor profitetur illo loco, quo de Sallustio facit iudicium, ubi dicit neglecturum se esse 'moras et non urgentia'. Morum igitur praecepta, orationes, excursus geographicos non, ut Sallustius fecerat, rerum descriptioni vult inserere, sed hoc tantum sibi proposuit, ut meras res historicas enarret. Alio quoque loco (fol. IX u, ed. Bonn. p. 10 A 20 sqq.) nonnullis prodigiis narratis haec addit: 'multa . . . . [om]itt[e]nd[a in h]is [h]i[s]t[o]r[i]i[s] ex[is]timav[i] nec opplendae sunt huius modi cognitionibus chartula[e] — sed[ges]ta . . . [a maio]ribu[s] tantumdem opus fuit nos r[e]co[g]noscere[2]) quantum memoriae tradere . . . . .'.[3]) Utroque loco etiam hoc observatione est dignum scriptorem videri suo arbitrio eligere ea, quae posteris tradenda putet, neque in hac re pendere ex altero. Dubitabit igitur iam haec verba qui attente legerit credere ab Liciniano excerptum esse unius scriptoris opus. Eodem pertinent etiam plures loci: 'de ordinibus — militum iam in superioribus libris dixi (p. 4 A 22 sqq.), cuius paulo antea memini consulatus (p. 8 B 3 sqq.), de P. Lentulo non fuit omittendum (p. 14 A init.), ut mox ordine indicabo'. (p. 32 B 17 sq.); duobus locis testatur scriptor se compluribus ex fontibus hausisse: 'equites vero plurimi auctores omittebant' (p. 4 A 19 sq.) et 'quidam memorant' (p. 38 A 6 sq). Licet cogitari eum mendaciter haec additamenta fecisse, ut qui legebant crederent semper se liberum suum arbitrium servasse. Sed benevola fortuna fragmentum illud, quod summi momenti est, de rebus a. 676 (78) gestis nobis servavit, quo Licinianus unum saltem fontem nominatim affert: 'Sallusti opus nobis occurrit etc.'

[1]) Teuffel igitur, cum scriptorem in Antoninorum tempore poneret, Pertzii de opere coniecturas probare non debebat.

[2]) 'nostro corde noscere' Bonn., corr. Francken p. 239.

[3]) Fortasse est supplendum '[ut]i[l]e [v]i[d]e[tu]r'.

Madvig quidem ex his verbis non conclusit Licinianum inde (i. e. a Sulla mortuo) Sallustii historiis usum esse, sed hunc locum ita explicavit, ut putaret Licinianum uni Livio addictum, cum ad annum 676 (78) pervenisset, commemoravisse Sallustium, quod consentaneum esset legentes exspectare Granium eo loco recurrere ad alterum rerum scriptorem in scholis celebratum; at cum adderet Sallustium alio atque se consilio res Romanas scripsisse, Licinianum negare se ex illo esse hausturum. Sed hanc interpretationem Madvig suo tantum arbitrio fecisse mihi videtur. Cum enim scriptor dicit 'Sallusti opus nobis occurrit, sed nos ut instituimus moras et non urgentia omittemus', Sallustium non totum reicit, sed significat tantum se eo „cum grano salis", ut aiunt, uti velle moris eius praetermissis.[1]) Et profecto Maurenbrecher l. c. demonstravit in eo capite, quod est de rebus anno 676 (78) gestis, complura inesse, quae cum Sall. frr. et Julio Exuperantio congruant atque luculenter ostendant Licinianum pendere ex Sallustio.

Refutata igitur est sententia eorum, qui Licinianum unum rerum scriptoris opus excerpsisse existimant. Quos praeter Sallustium habuerit fontes quoque modo eis usus sit, in sequentibus capitibus accuratius ostendere mihi proposui. Duae tamen res praemittendae sunt, quae pertinent ad proprietatem operis in universum cognoscendam.

Ac primum quidem saepissime apud Licinianum occurrunt prodigia, quorum in fontibus exhauriendis videtur fuisse studiosissimus (cf. ed. Bonn. p. 10, 22 et inprimis p. 20). Fieri potest, ut hac in re cognoscenda nobis sit vis Stoicae doctrinae, cuius potentia tum maxima erat.

Deinde scriptor saepius atque copiosius narrationi inserit antiquitates. Cuius proprietatis insigne exemplum habemus fol. XI u (ed. Bonn. p. 4). Dextrae columnae initio Licinianus loquitur de more a Tarquinio instituto, secundum quem equites priores binos equos in pugnam ducebant; sub fragmenti finem nomen flexuntium explicat; qui intercedunt versibus videtur quaesivisse, utrum ille

[1]) Sic iam Linker p. 637 recte interpretatus est.

mos Romanorum fuerit proprius an translatus a Graecis.[1]) Hoc fragmentum propterea quoque magnam vim habet, quod ex plurimis verbis Graecis hic occurrentibus pro certo possumus concludere Licinianum Graecae linguae fuisse peritissimum. Antiquitatum eius studium etiam aliis locis elucet: 'quoniam pomerium finis esset urbanorum auspiciorum etc. (p. 10 B 18 sqq.), placuit et quod nunquam alias — quid in libris fatalibus esset palam recitare (p. 22 A 2 sqq. cf. cap. III), Nicomedes Euergetes, qui est ita dictus, quod beatos egentes faciebat multosque beneficiis suis alliciebat' (p. 36 A 4 sqq.); ea quoque, quae de Antiochi Epiphanis aedificationibus traduntur, eodem referenda sunt (cf. cap. I, 1). Hoc idem nos impulit, ut historicum Granium Licinianum eundem duceremus atque scriptorem rerum antiquarum.

Iam ad rem ipsam transeamus: Primo capite eas quaestiones complectar, quae ad res Asiaticas pertinent. Qua in re opus esse existimo verba eius fragmenti valde mutilati, quod est de Antiocho IV Epiphane (fol. X r), quantum fieri potuit correcta et suppleta praeponere, cum Bonnenses eius menda parum sustulerint.[2]) Altero capite fragmenta, quae sunt de bello Cimbrico, tertio quae sunt de bello civili Mariano, quarto quae sunt de bello Mithradatico in examen vocabuntur. Ad extremum nonnulla fragmenta minora in medium proferam.

---

[1]) Sic conicit Heerwagen „de Grani Lic. fragmento ann. lib. XXVI" (Thierschio gratul. gymn. Norimberg. 1858), qui summa cum doctrina hoc fragmentum emendavit atque supplevit. Alias emendationes proposuerunt B. ten Brink (Phil. XII p. 590 et Phil. XXI p. 165) et Rob. Unger in epist. cum edd. Bonn. communicata (p. XVII); quae emendationes omnes hoc folio misere depravato dubitationi sunt obnoxiae easque accurate examinare et longum est neque ad nostram quaestionem necessarium. Cum autem libro XXVI res annis c. 571—81 gestas exspectemus narrari, Hirschfeld egregie coniecit scriptorem in hoc libro exposuisse de Catonis oratione, qua suasit in senatu 'ut plura aera equestria fierent' — neque enim est veridissimile hanc orationem a Catone, cum censor esset (a. 571), habitam esse — eaque re esse adductum, ut hunc de Tarquinio excursum insereret.

[2]) Mihi est in animo posthac novam editionem parare, quae versabitur in emendando verborum contextu, quamquam codicem denuo conferre non licet; nam vir doctissimus mecum communicavit subsidiis chemicis, quae C. Pertz adhibuit, codicem adeo esse afflictum, ut hodie omnino nihil fere possit legi.

CAPUT I.
De rebus Asiaticis.

I.

(fol. X r, ed. Bonn. p. 8.)

A. '. . . . mortuo fra[tre r]egnavit; idem agi[tav]erat bellum post[ea indi]cere Romanis, sed [prohi]bitus dicitur [Persei reg]is[a] sorte. Perpauc[is bo]ni[s] magna misce[bat viti]a, incertae na[turae] levitatisque su[mmae: ep]ulis comisa[ns interv]enire, ad sympho[nia]m nudus saltare, [ba]lne[i]s[b] public[is] u[ti plebe b]alneas [frequ]e[ntante][b], perfusus ungue[ntis; et] asturcone pom[pam r]e[g]ebat[c] et [s]e sim[ulab]at Hierapoli D[e]a[m[d] duc]ere uxorem et c[um ut ad][e] epula[s aurea] e[t a]r[g]e[ntea vasa e] sacro protulis[sent] ca[en]atus [d]e m[e]nsis [ea abs]tulit [in] dotem
B. ex[tra anul]um[e] quem [un]um omnium deae [e][f] donis reliquit. Gracch[o] iter[um cos.][g], cuius paulo a[n]te[a] memini consul[a]tu[s][g], vi[su int]erit[h] nocturno. Corpus eius cum Antiochia(m) portaretur, exterritis subito iu[m]entis in fluvium abreptum non com[pa]ruit. Has ille [p]oe[n]a[s] i[nf]an[d]i sacri[l]eg[i][i] i[n]cen[s]is ex[p]endit diis[k]. Colossos duo[s][l] denum cubitorum ex Med[i]a[m] . . . . unum Olympio, alteru(m) Capitolino Iovi de[di]ca[ve]r[a]t[n]. Athenis Olympio(n) e[xtr]u[e]re [e] lapide ma[r]m]o[r]e ins[tit]uerat[n]: [i]am[o] columnas aliquot [dipt]ero[p] circumdederat. (A)edes nobilissima Olympi(i) Iovis Atheniensis diu inperfecta permans[it].'

---

a) 'Persei regis' suppl. K. (= Keil in Fleckeis. ann. phil. LXXVII p. 644). b) 'balneis — frequentante' rest. K. c) 'regebat' Bernays, 'ducebat' Bonn. d) 'diana' cod., 'deam' coni. Hirschfeld. e) 'cum ut — vasa sacra — anulum' K., 'e sacro' Froehner (Phil. XV p. 619), 'cum ea ad epulas — protulisse se causatus etc.' proponit Mommsen. f) 'deae donis' cod., 'e' supplevi, 'donorum' Bonn. g) 'cos.' et 'consulatus' fortasse emendandum est (cf. infra). h) 'visu interit' conieci, 'terrore perit' K. i) 'poenas infandi sacrilegi' K. k) 'iscentis extendit dus' cod., 'incensis expendit diis' correxi, 'deis laesis expendit' K., qui cum Pertzio et Bonn. 'dus' in 'du[o]s' correctum ad ea, quae sequuntur, referebat. l) 'duodenum' cod., 'duo[s] denum' ego. m) 'ex Media' corr. Francken (l. c. p. 254); lacunam ego notavi. n) 'dedicaverat — instituerat' Bursian (in Fleckeisen ann. LXXVII p. 650). o) 'nam' cod., quod sensum non praebet, 'iam' correxi. p) 'numero' cod., 'diptero' K.

In hoc fragmento libri XXVIII, de quo primum nobis est agendum, facile cognosces sermonem esse de Antiocho IV Epiphane, cuius regnandi initium et consilium cum Romanis belli gerendi postea abiectum primo discimus enuntiato; cuius in fine desunt quaedam verba, quae Meineke („Archäol. Zeitung" 1857 n. 106. 107 p. 103) fuisse censet 'Oso[goae Iov]is sorte', ita ut si recte supplerentur, Ζεὺς Ὀσογώς vel Ὀσογῶα, deus Caricus, diceretur.[1]) Sed quamvis similia sint haec verba vestigiis litterarum, tamen non obliviscendum est in texta Pertzii minores i. e. incertas hoc loco litteras exstare. Multo magis probo supplementum a Keilio propositum: '[Macedo]nis' vel '[Persei reg]is sorte'. Nam quamquam Antiochus traditur belli inter Romanos et Perseum gesti particeps non fuisse, sed hac occasione usus esse Coeles Syriae et Palaestinae recuperandae,[2]) tamen non incredibile est eum in animo habuisse, si Perseus victurus esset, 'postea' una cum eo Romanos bello persequi — sic enim verba Liciniani interpretanda esse puto — praesertim cum eum etiam posterioribus temporibus clam cum Eumene contra Romanos consilia communicasse Polybius (XXXI, 5 et 6) et Livius (per. 46) sint testes.

Sequitur Antiochi regis morum descriptio brevis illa quidem et qua extraneae tantum res de eo afferantur. Longius atque accuratius illius mores describunt Polybius in fragmentis libr. XXVI et XXXI apud Athenaeum V p. 193 sq. et X p. 439 servatis et Diodorus XXIX, 32 et XXXI, 16 (ed. Dindorf), qui sine dubio illum secutus est.[3]) Ac Polybius quidem cum multa alia tum res a Granio traditas affert:

Lic.	Polyb. XXVI, 1 (ed. Hultsch)
1) epulis comisans intervenire.	4. ὅτε δὲ τῶν νεωτέρων αἴσθοιτό τινας συνευωχουμένους, οὐδεμίαν ἔμφασιν ποιήσας παρῆν ἐπικωμάζων μετὰ κερατίου καὶ συμφωνίας, quocum nonnunquam ad verbum consentit Diod XXIX, 32.

[1]) Preller-Robert „Griech. Mythologie" I[4] (1894) p. 580 adn. 2.
[2]) Flathe „Gesch. Macedoniens u. der Reiche, die von maced.

3) et balneis publicis uti plebe balneas frequentante, perfusus unguentis.	12. ἐλούετο δὲ κἀν τοῖς δημοσίοις βαλανείοις, ὅτε δημοτῶν ἦν τὰ βαλανεῖα πεπληρωμένα, κεραμίων εἰσφερομένων αὐτῷ μύρων τῶν πολυτελεστάτων.

Neque vero obicias hoc loco parum vel nihil probari, cum verba Liciniani secundum Polybium a Keilio demum sint restituta; nam cum omnes litterae a Keilio suppletae optime quadrant ad vestigia relicta tum de balneis ut apud Polybium bis commemoratis dubitandum non est. Praeterea conferas haec:

Lic.	Polyb. XXXI, 4.
2) ad symphoniam nudus saltare.	7. καὶ τῆς συμφωνίας προκαλουμένης ἀναπηδήσας ὠρχεῖτο καὶ ὑπεκρίνετο μετὰ τῶν γελωτοποιῶν.

Hoc loco adeundus est Diodorus XXXI, 16, 2, apud quem verba Polybiana integriora atque pleniora servata sunt, ut in his: τῆς συμφωνίας προκαλουμένης ἀνεπήδα γυμνός, καὶ τοῖς μίμοις προσπαίζων ὠρχεῖτο κτλ.

Tantum igitur cernere licet Granii et Polybii consensum, ut maior cogitari vix possit, atque verba Liciniani originem profiteri Polybianam nemo iam infitietur. Etiam Livius XLI, 20, quem constat ipsum per quartam et quintam decadem, inprimis ubi res Asiaticae et Graecae narrantur, accuratissime vestigia premere Polybii, Antiochi morum descriptionem habet magna ex parte illam quidem iniqua fortuna deperditam. Tamen cum Granii verbis 'incertae naturae levitatisque summae' comparari possunt Livii 'adeoque nulli fortunae adhaerebat animus, per omnia genera vitae errans, uti nec sibi nec aliis quinam homo esset satis constaret'. Ac si quis putet Licinianum ex Livio hausisse, ut Lici-

Königen beherrscht wurden" (Lips. 1834) II. p. 580 sqq. — Wilcken in Pauly, Realenc. I, 2² p. 2471 sq.

[3]) Nissen „Krit. Untersuchungen über die Quellen der IV. u. V. Dekade des Livius" (Berol. 1863) p. 110 sqq.

niani cum Polybio consensus a Livio repetendus sit, hic locus non praebet ansam huius opinionis redarguendae.[1])

Sed consideremus verba 'asturcone pompam regebat'. In fonte Liciniani sermo fuisse videtur de splendidissima illa pompa, quam Antiochus in oppido Daphne duxit imitatus Aemilium Paulum, qui victoriam in Macedonia partam celebravit.[2]) Quae pompa accurate describitur a Polybio XXXI, 3. 4 et secundum eum a Diodoro XXXI, 16. Inprimis inspicias: Polyb. 4, 4: ὁ δὲ χειρισμὸς ἐγίνετο τῶν πραγμάτων δι' αὐτοῦ τοῦ βασιλέως. ἵππον γὰρ ἔχων εὐτελῆ παρέτρεχε παρὰ τὴν πομπήν, τοὺς μὲν προάγειν κελεύων τοὺς δ'ἐπέχειν. Diod. 16, 2. ὁ δὲ δι' αὐτοῦ χειρισμὸς πολλῆς εὐτελείας καὶ καταφρονήσεως ἦν οἰκεῖος. παρέτρεχε γὰρ παρὰ τὴν πομπὴν ἱππάριον ἔχων εὐτελὲς κτλ. Qua in re miramur Granium commemorare asturconem, Polybium et Diodorum ἵππον (vel etiam ἱππάριον) εὐτελῆ, neque dubium est, quin hoc sit rectum, cum exspectemus aliquid ridiculum de Antiocho afferri, quod in 'asturcone', pulchre et eleganter femora movente atque ob id magno in pretio habito[3]) non inest. Quam differentiam satis miram sic expediendam esse puto, ut coniciamus in exemplo, quo utebatur Granius, falso pro εὐτελὴς ἵππος scriptum fuisse εὐσκελής. Quo modo alio verbum 'asturco' enodari possit, non video. Tum autem pro certo habemus illam cum Polybio similitudinem, quam in describendis Antiochi moribus invenimus, non Livio intercedente ortam esse, quod Madvig (p. 394) iudicavit. Atque Livium in hoc fragmento non adhibitum esse infra aliis argumentis confirmatum videbimus.

Deinde exponitur de direpto templo Hierapolitano. Seleucidas saepe ad replendos vacuos suos thesauros opulentis fanis

---

[1]) Quod Ptolemaeus II Euergetes (apud Athen. X p. 438 e) de Antiochi vinolentia ab Aeliano quoque (Var. hist. II, 41) commemorata, de pecunia ab illo lacerata etc. affert, hic potest neglegi, sed ibi quoque legimus: ἐλούετο δὲ καὶ εἰς τοὺς κοινοὺς λουτρῶνας μύροις ἀλειφόμενος.

[2]) Hoffmann „Antiochus IV Epiphanes" (Diss. Lips. 1873) p. 72 sq.

[3]) Ad. Schlieben „Die Pferde des Altertums" (Lips. 1867) p. 106 et Schneider ad Veget. II, 28, 38.

Asiaticis usos esse pernotum est, sed de populato templo Hierapolitano alibi nihil traditur. At Polyb. XXXI, 11, I. Macc. 6, 1 sqq., Joseph. Antiqu. XII, 9, 1[1]) narrant Antiochum paulo ante mortem templum Dianae in Elymaide, provincia Persica, situm diripere ab incolis impeditum esse;[2]) si App. Syr. 66 credimus, consilium etiam perfecit.[3]) Plurimique scriptores cum hac re mortem regis connectunt. Tradit enim Polybius l. c.: ἀναχωρῶν ἐν Τάβαις τῆς Περσίδος ἐξέλιπε τὸν βίον δαιμονήσας, ὥς ἔνιοί φασι, διὰ τὸ γενέσθαι τινὰς ἐπισημασίας τοῦ δαιμονίου κατὰ τὴν περὶ τὸ προειρημένον ἱερὸν παρανομίαν. Contra haec dicit Josephus ut Judaeus scriptor Antiochum templo Hierosolymis expilato conscientia sceleris cruciatum esse similiterque I. Macc., quo ex libro Josephus plurima hausit. Aliter de exitu regis traditur duobus locis II. Macc., quorum primo (secundum Hieronymi versionem) 1, 13 sqq. sic legimus: 'Nam cum in Perside esset dux ipse et cum ipso immensus exercitus, cecidit in templo Naneae consilio deceptus sacerdotum Naneae. Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus et amici eius, et ut acciperet pecunias multas dotis nomine; cumque proposuissent eas sacerdotes Naneae, et ipse cum paucis ingressus esset intra ambitum fani, clauserunt templum, cum intrasset Antiochus . . . . . mittentes lapides percusserunt ducem'. Quibus in verbis facile cognoscimus iocosam narrationem Granii, qui docet regem res divinas in ludibrium vertisse, cum diceret velle se deam in matrimonium ducere. Secundum alterum locum II. Macc. (9, 9) denique Antiochus phthiriasi consumitur. Hanc famam non est quod examinemus. Nam ut non dicam, talem morbum unquam fuisse medicos negare, facile intelligitur,

---

[1]) Idem invenitur apud Sulp. Sev. chron. II, 22; Hieron. ad Daniel. 11; Georg. Sync. p. 533.

[2]) Falso adnotat Pertz p. 46 adn. 2: „secundum Polybium rex templum Dianae in Elymaide spoliaverat".

[3]) Templum Naneae dicitur II. Macc. 1, 11, 'Αρτέμιδος apud Polyb., 'Αφροδίτης apud App., quae omnes eandem deam Babylonicam Ναναίαν significant (cf. Ed. Meyer in Roscheri Lex. Myth. p. 646); num eadem sit quae Anaïtis, Diana Persica, quod Hoffmann (p. 78 adn.) aliique statuerunt, dubium est (cf. Ed. Meyer l. c. p. 333 med.).

unde illa fama orta sit: Judaeos enim ei, qui semper religioni eorum inimicissimum se gesserat, mortem quam atrocissimam et foedissimam excogitasse apparet. Ac ne iis quidem, quae priore loco accepimus, multum tribuendum esse videtur, cum II. Macc. fides historica non ita magna sit.[1])

Sed Polybius, Josephus, I. Macc. num recte consenserint Antiochum paulo post vanum illum impetum in templum Elymaicum factum de vita decessisse, non plane certum est. Quamquam enim Hoffmann (p. 77) illorum testimonio credidit, tamen iam Gutschmidio („Geschichte Irans", Tubing. 1888, p. 41) inde suspicio exorta est, quod exitus Antiochi Epiphanis secundum illos scriptores etiam in minutissimis rebus par est patris Antiochi III.

Ab his scriptoribus inter se concinentibus Licinianus dissentit, qui verbis 'has ille poenas infandi sacrilegi incensis expendit diis' causam mortis Antiochi petit ab templo Hierapolitano spoliato. Sed ex hac una discrepantia concludendum esse Licinianum non pendere ex memoria Polybiana,[2]) mihi quidem non persuasum est. Immo vero cum in superioribus sententiis Granius Polybii verba artissime premat, putaverim eum sacrilegium Hierapolitanum, quod apud Polybium quoque antea memoratum fuisse facile credas, ne salsam narrationem omitteret, in opus suum recepisse atque ipsum mortem Antiochi cum eo coniunxisse. Quamobrem etiam comprobo, quod Keil secundum Polybium l. c. restituit col. B 5 '[terrore p]erit nocturno', nisi malis 'vi[su int]erit nocturno'.[3])

Iam quaerendum est, num omnia illa, quae de morte Antiochi narrantur, vera sint iudicanda necne. Primum unusquisque concedet Granio, si verisimile est eum redire ad Polybium, magnam fidem esse habendam. Atque quod Antiochus aliquando Hierapoli

---

[1]) Hoffmann l. c. p. 4 sqq.

[2]) Sic iudicat Wijnne, Phil. XV (1860) p. 361.

[3]) Francken p. 254 proposuit 'in itinere perit nocturno' atque explicavit: fortasse Antiochum, cum in morbum incidisset, iter adeo accelerasse, ut ne noctem quidem intermitteret, quo celerius Antiochiam perveniret — id quod mihi quidem non verisimile est.

tam dementer se gessisse traditur,[1]) optime convenit ad cetera regis facta, praesertim cum etiam in II. Macc. de tali matrimonio sermo sit. Quod autem Hierapoli cultus 'Dianae', quam deam codex praebet (A 17), notus non est, Hirschfeldium elegantissime coniecisse arbitror pro DIANA legendum esse DEAM atque interpretandam deam Atargatim vel Derceto, ab Romanis simpliciter deam Syriam appellatam, cuius cultus, ut Plin. hist. nat. V, 32, 19, Strabo XVI, 1, 27, Plut. Crass. 17, inprimis Lucianus in libello qui inscribitur de dea Syria testantur, maxime florebat Hierapoli.[2]) Ac simpliciter illam eo loco, ubi praecipue colebatur, una commemorato appellari posse Deam, docet etiam Plut. l. c., ubi tantummodo nominatur: ἡ ἐν Ἱεραπόλει θεός.

Mortem Antiochi Granius collocat in altero Gracchi consulatu[3]) id est anno 591 (163). — Undecim annos regnavisse Antiochum testantur Porphyr. ap. Euseb. chron. ed. Schoene I p. 253 et 263, Hieron. ad Daniel. 11, 21 sq., Sulp. Sev. chron. II, 22, cum App. Syr. 66 minus duodecim annos ei attribuat. Initium regni Por-

---

[1]) Similem narrationem apud Senecam Suas. I, 6 traditam affert Keil: Athenienses Antonio Athenam uxorem obtulisse et postea ab eo coactos esse magnam dotem dare.

[2]) Preller „Röm. Mythologie" II³ (1883) p. 396 sq.

[3]) Madvig p. 394 'Gracchi iter' quod cod. B 2 praebet, de legatione, quam Gracchus a. 590 (164) in Asia gessit (Polyb. XXXI, 5, 9), interpretatur neque vero verba, quae sequuntur, restituit: hac emendandi ratione locus corruptus prorsus sanari non potest. — Edd. Bonn. legunt: 'Gracch[o] iter[um] <de cuius paulo a[n]te[a] memini> consule tur[gore p]erit nocturno'. Verba 'de cuius—memini' librario (de epitomatore hoc loco ipsi non loquuntur!), qui addere volebat 'consulatu', adscribunt. Sed glossema hic statuere nimiae temeritatis esse mihi videtur. — Keil denique sic censet esse scribendum: 'Gracch[o] iter[um], de cuius — memini consul[a]tu, etc.', sed valde dubito, num 'Graccho iterum' omissa voce 'consule' recte dici possit; nam exemplis a Keilio allatis (Hor. Ep. I, 5, 4 et Jul. Capit. Pert. 4) nihil demonstratur: quod poetae licet, non licet scriptori historiarum atque verba Capitolini in codicibus corrupta sunt. Quamobrem putaverim litteras 'de' a Pertzio falso extricatas esse atque emendandum, quod in textum recepi, quamquam etiam hoc incertum esse concedo.

phyrius ponit in Ol. 151, 3, unde nanciscimur Ol. 151, 2 vel annum a. Chr. n. 175/4: nam ille, cum totos tantum annos numeret, eum annum, quo alius regnare coepit, plenum dare solebat priori regi (cf. „Schürer, Gesch. des jüdischen Volkes", Lips. 1890, I p. 128). Quocum concinit, quod primi Antiochi nummi sunt ex anno 138 aer. Sel. vel a. Chr. 175/4 (cf. Babelon „les rois de Syrie, d'Arménie et de Commagène", Paris 1890, p. CIX).[1]) Regis mors secundum Porphyrium l. c. incidit in Ol. 154, 1 vel a. 164/3 atque secundum I. Macc. 6, 16 in a. 149 aer. Sel. vel a. 164/3, qua in re observandum est aerae Sel. in Macc. I libro initium esse ver anni 312 (cf. Schürer p. 26 sqq.). Quodsi his adiungimus, quae tradit Granius — atque non est cur, quin recta sint, dubitemus — accuratius tempus mortis Antiochi assequi possumus ver anni 591 (163). Falsum igitur est, quod etiam in recentioribus libris historicis paene omnibus legimus regem mortuum esse a. 590 (164).

Quod autem Licinianus narrat corpus regis mortui in flumen abreptum esse, quam famam alibi nusquam invenimus, hoc non ita magna fide dignum videtur; multo vel per se credibilius est regem sepultum esse, ut II. Macc. 9, 29 traditur. Accedit quod, si quid veri in Granii narratiuncula inesset, scriptores Judaei certo ea essent usi, ut demonstrarent deum suum offensum ulcisci sacrilegos vel mortuos. Sed quamvis abhorreat illa fabula a veritate, non est concludendum eam apud Polybium defuisse.

Postremo Licinianus exponit de donis et ornamentis templorum ab Antiocho Epiphane oblatis. 'Colossos duos denum cubitorum ex Media . . . . . unum Olympio, alterum Capitolino Iovi dedicaverat.'

De templo Iovis Capitolini Livius XLI, 20, 9 qui, quod ad monumenta ab Antiocho exstructa attinet, integer nobis servatus est, tradit haec: 'Antiochiae Iovis Capitolini magnificum templum, non laqueatum auro tantum, sed parietibus totis lammina inauratum et alia multa in aliis locis pollicitus . . . . . non perfecit.' Sed

---

[1]) Falso I. Macc. 1, 10 initium regni iam in a. 137 aer. Sel. vel 176/5 statuit cf. Schürer l. c. p. 129.

maxime animadvertendum est eum tacere de statua a Granio commemorata, eundemque quod ipsum quoque magni momenti est, Iovis Olympii colossum, de quo in excursu I pluribus disputabimus, prorsus silentio praeterisse.[1])

Unde luculenter apparet Granii historiam non esse excerptam ex solis Livii libris. Maxime autem cavendum est, ne ex Livii silentio colligamus etiam Polybium nullam statuarum mentionem fecisse, atque excerptum ipsum Polybianum, quod ad nos pervenit, non integrum esse facile intelleges, si id comparaveris cum Livio uberiora exhibente. Quamobrem non cogimur statuere Licinianum a Polybio fonte discessisse.

Neque aliter fortasse iudicandum est de verbis, quae sequuntur, ubi agitur de Iovis Olympii templo Atheniensi. Quod iam a Pisistrato inceptum, perfectum demum esse ab Hadriano inter omnes constat.[2])

Antiochum Epiphanem huic templo aedificando favisse breviter commemorat Polyb. XXVI, 1, 10 et 11: ἐν δὲ ταῖς πρὸς τὰς πόλεις θυσίαις καὶ ταῖς πρὸς τοὺς θεοὺς τιμαῖς πάντας ὑπερέβαλλε τοὺς βεβασιλευκότας · τοῦτο δ'ἄν τις τεκμήραιτο ἔκ τε τοῦ παρ' Ἀθηναίους Ὀλυμπιείου καὶ τῶν περὶ τὸν ἐν Δήλῳ βωμὸν ἀνδριάντων — et eum secutus Liv. XLI, 20, 8: 'magnificentiae vero in deos vel Iovis Olympii templum Athenis, unum in terris inchoatum pro magnitudine dei, potest testis esse; sed et Delon aris insignibus statuarumque copia exornavit'. Ex Liciniano igitur plus discimus.[3]) Verba eius 'iam columnas aliquot diptero circumdederat' lucem accipiunt ex Vitruvio VII praef. 15, qui iam Antiocho IV rege sumptu eius Cossutium civem Romanum duplicem porticum exstruxisse testis

[1]) Sane mirum in modum Babelon (l. c. p. XCV supra) locum Livianum, qui est de templo Iovis Capitolini, referendum putat ad Iovem Olympium Nicephorum in oppido Daphne cultum, Iovem igitur Capitolinum et Olympium censet eundem esse! — De templo Iovis Capitolini cf. C. O. Müller „Antiquitates Antiochenae" (Gott. 1839) p. 55 sq.

[2]) Gregorovius „Der Kaiser Hadrian" (Stuttg. 1884) p. 478 sqq.

[3]) Ac tamen Madvig p. 401 adn. hic quoque iudicat Licinianum pendere ex Livio.

est. Sed si quis in eo perseverare velit hoc quidem loco verba Polybiana in fragmento integra nobis servata esse, ut ex Livio ad verbum cum Polybio congruente appareat, non ita fortiter repugnaverim atque statuerim, quae Licinianus inde ab morte Antiochi narravit, aliunde ac quae praecedunt petita esse. Nam scriptorem saepius duos fontes iuxta adhibuisse etiam in sequentibus capitibus cognoscemus. Ex forma autem 'Olympi*on*', quae alibi apud scriptores Latinos non occurrit,[1]) coniciendum est etiam alterum fontem, ex quo Licinianus de ornamentis Antiochi nonnulla addidit, fuisse Graecum.

Priusquam huius quaestionis finem faciamus, liceat iudicium afferre de toto fragmento, de quo adhuc disseruimus. Desideramus paene omnes res graviores, quae Antiocho IV rege factae sunt; desideramus bella cum Judaeis et Aegyptiis gesta, Graecum deorum cultum a rege institutum, satrapias orientales amissas multasque alias res. Ac tamen concedendum est non solum fabellas, sed etiam, inprimis sub finem, nonnulla fide digna narrari. Certissime autem demonstrasse mihi videor hoc fragmentum historiae Granianae non esse excerptum ex libris Livianis, atque etiam hoc satis me probavisse spero maiorem narrationis partem prae se ferre colorem Polybianum. Utrum Plybius ipse an epitome Polybiana an alius Graecus auctor accuratissime eius vestigia secutus — nam Graecum fuisse paucis illis, quae supra attuli, ostenditur — Liciniano materiam praebuerit, aperte diiudicari non potest.

II.

Originem Polybianam redolet aliud quoque libri XXVIII fragmentum (fol. XII r, ed. Bonn. p. 14). In priore parte Licinianus nonnulla nova affert de P. Cornelio Lentulo cons. suff. anni 592 (162), quem, cum praetor urbanus esset, narrat agrum Campanum pecunia publica coemisse. Sed praetermitto hanc

---

[1]) Ruhnken ad Vell. Paterc. I, 10, 1.

partem,[1]) cum ad fontes scriptoris cognoscendos nullam praebeat ansam. Sub finem fragmenti Granius redit ad res in Syria gestas.

Senatus regnum Syriacum attribuit Antiocho Eupatori, Epiphanis filio. Frustra patruelis eius Demetrius, qui a patre suo Seleuco IV obses Romam erat missus, in senatu illud regnum sibi vindicat (Polyb. XXXI, 12; App. Syr. 46 cf. Flathe II p. 415 sqq.). Atque quas causas Licinianus eum facit in senatu afferentem, easdem invenimus apud Polybium. Conferas:

Lic.

Id Demetrio . . . pe[t]enti [d]en[e]g[a]bat[2]) (sc. senatus), cum ille se et [puerul]um [R]omam [v]enisse et aetate maiorem esse ad annos XXIV praedicaret: patriam sibi etiam Romam esse, senatum parentem, et cum haberet mis[ericordiam senatus][3]) . . . .

Polyb. XXXI, 12, 5. 6.

Διαθεμένου δὲ καὶ πλείονας λόγους αὐτοῦ (i. e. τοῦ Δημητρίου) πρὸς τὴν προειρημένην ὑπόθεσιν, καὶ μάλιστα προσδραμόντος ἐν τῷ λέγειν διότι συμβαίνει καὶ πατρίδα καὶ τροφὸν τὴν Ῥώμην ὑπάρχειν αὐτῷ, καὶ τοὺς μὲν υἱοὺς τῶν ἐκ τοῦ συνεδρίου ἅπαντας ἀδελφῶν ἔχειν διάθεσιν τοὺς δὲ βουλευτὰς πατέρων διὰ τὸ παραγενέσθαι μὲν ἔτι νήπιος, τότε δὲ κατὰ ἡλικίαν ὑπάρχειν ἐτῶν εἴκοσι καὶ τριῶν, ἐνετρέ-

[1]) Cf. Mommsen „Röm. Gesch.“ II^7 p. 92 et „Röm. Staatsrecht“ II^3 p. 195 adn. 3, Lange „Röm. Altert.“ II p. 276 et 306. Sed Mommsen (Röm. Gesch. l. c. in adn.) in errorem incidit, cum ex Cic. de leg. agr. II, 30, 82 colligit Lentulum apud eos, qui a principio agros possidebant, in universum nihil effecisse, cum agros vendere noluissent. Apud Ciceronem enim haec tantum leguntur: 'dicitur renuntiasse nulla se pecunia fundum cuiusdam (— ergo non omnium, sed unius cuiusdam hominis —) emere potuisse eumque, qui nollet vendere, ideo negasse etc.'

[2]) 'iun|gebat' cod., 'denegabat' Keil, 'negabat' Bonn; sed in litteris IUN plus inerat quam NE (potius DENE).

[3]) Sic ultimis verbis textum supplet Hirschfeld atque persuasit mihi.

πονто μὲν ἅπαντες ἀκούοντες ἐν ἑαυτοῖς, κοινῇ γε μὴν ἔδοξε τῇ συγκλήτῳ τὸν μὲν Δημήτριον κατασχεῖν, τῷ δὲ καταλελειμένῳ παιδὶ συγκατασκευάζειν τὴν ἀρχήν.[1])

Hic pro explorato habendum est Licinianum ad verbum vertisse narrationem Polybianam, atque concentus verborum tantus est, ut verisimilius mihi videatur Granium ex ipso Polybio vel epitome Polybiana quam ex Graeco fonte ad Polybium redeunte hausisse. Quod autem hic satis certo cognovimus, idem statuendum est de fragmento illo, quod primo loco in quaestionem vocavimus.

III.

Ex iis, quae adhuc disseruimus, satis clare iam apparet res Asiaticas secundum optimum fontem enarratas fuisse. Et tamen, quantum ex fragmentis cognosci potest, in rebus Syriacis describendis Licinianus non copiosior erat quam iis locis, quibus de rebus Romanis agit. At unum exstat fragmentum valde memorabile (fol. II u, ed. Bonn. p. 36), quo de intestinis rebus Bithynicis tam multa affert, ut hoc loco usitatum scribendi modum atque rationem prorsus videatur mutasse. Id adhuc nondum observatum esse videtur.

Sub finem fol. II r (ed. Bonn. p. 34) Licinianus exponit de Sullae post pacem Dardani factam institutis et postremo (col. B 15 sqq.) Nicomedis III Philopatoris regnum Bithyniae commemorat esse restitutum. Fol. II u (p. 36) accuratissime agitur de huius Nicomedis III et Socratis fratris vita ante acta, qua in

---

[1]) App. Syr. 46, quem usque ad c. 52 verisimile est Polybium sequi, causam petendi omnino non affert. Quod dicit: Δημήτριον ...., ἔτος ἄγοντα τρίτον ἐπὶ τοῖς εἴκοσι, qua in re uno anno differt a Polybio neglegentiae scriptoris tribuendum esse videtur.

re enarranda scriptor redit ultra mortem patris Nicomedis II[1]) i. e. ultra annum circiter 660 (94). Sed quomodo p. 34 fin. transitum ad priores res Bithynicas reppererit, dici iam non potest, cum finis fol. II r adeo sit mutilatus, ut de remedio plane desperes.[2])

Recte iam totum fragmentum explicavit Th. Reinach „Mithridates Eupator“ (qui liber in nostrum sermonem ab Goetzio translatus est, Lips. 1895) p. 106—108.[3]) Sed num vera sint quae tradit Licinianus, eo minus potest diiudicari, quod apud eum solum haec legimus. Pauca enim, quae praeterea de Socrate regni aemulo traduntur, pertinent ad posteriora tempora. Ea autem, quae post eius cum Mithradate coniunctionem acciderunt, hoc fragmento non iam commemorantur.

---

[1]) Hic apud Lic. appellatur 'Euergetes' (A 4) ut edd. Bonn. recte correxerunt. Adhuc nummorum testimonio (Eckhel D. N. II p. 444) vocabatur Epiphanes. Sed ut iam Francken p. 260 monuit, non improbabile est „Epiphanis cognomen potius tanquam appellativum (= Augusti) regis titulo quam nomini proprio additum esse, quia in nummis 'Επιφάνους semper ponitur post βασιλέως et ante Νικομήδους.“

[2]) Parum verisimile arbitror, quod Francken p. 244 de transitu a pace ad res Socratis facto coniecit, qui prima verba fol. II u '[in]-vidiose exequebatur (?) [sa]tis exercitus in priore [fo]r[t]una' (ed. Bonn.) liberrime sic mutata 'inv. ex. [quantam] ex[p]ertus in priore [vita fo]r[t]una[m]' refert ad Socratem. Referenda potius sunt ad Nicomedem III. Verba enim 'uno isto filio' (v. 8), quibus significatur Nicomedes III, intelligi non possunt, nisi antea de hoc sermo erat.

[3]) Franckenii expositio satis artificiosa, quam hic repetere longum est, collabitur. Nititur inprimis his verbis col. B 5 sqq. 'haec | Socrates ad regem fecit | regem refert bellum con|tra fratrem incitavisse' nimis audacter ita correctis 'hanc Socrates ad bellum contra regem (i. e. Mithradatem) refert fratrem incitavisse', quam mutationem sic defendit: verba 'regem refert' cum dittographia 'regem fecit' alieno loco erant inserta. Sed quamvis concedas hoc fieri potuisse, tamen intelligi non potest, quomodo 'rex' per se, antea Nicomede tantum commemorato, significare possit Mithradatem! Verba 'regem fecit' ut dittographia cum edd. Bonn. delenda potius sunt et rex sine dubio est Nicomedes III (cf. Reinach p. 107 med.).

Cognomen ei fuisse Chresto (Lic. B 8) testatur etiam App. Mithr. 10, Memnon c. 30, Just. XXXVIII, 5, 8. Atque in senatu Romano disputatum esse, cui regnum Bithyniae daretur (cf. Lic. B 10 sqq: 'Romam ad regnum expetendum frustra profectus') apparet etiam ex Cic. de orat. III, 61, 229 et ex Memnon. c. 30. Ab hoc quidem Licinianus in ea re differt, quod Nicomedis III matri, quam Memnon appellat Nysam, nomen dat Aristonicae (A 10).[1]) Cetera, quae tradit Licinianus, cum alibi nusquam occurrant, supervacaneum potest videri fontem eius quaerere. Sed si totius fragmenti tenorem respicias consideresque, quam copiose omnia explicentur, quam accurate nomina afferantur vel eorum, quos ut Nicomedis II concubinam scire minus intererat, facile concedas hic quoque optimum atque uberrimum fontem Graecum scriptori ante oculos fuisse, praesertim cum iam antea nobis persuaserimus in rebus Syriacis enarrandis eum Graecum auctorem esse secutum. Nam quem Romanorum scriptorum domesticae illae res Bithynicae poterant delectare? Iam Klebs „de scriptoribus aetatis Sullanae" p. 6 dubitat, „num Livius tradiderit, quae p. 37 continentur". Neque neglegendum est Livium temporum rationem secutum res Bithynicas in libris 74 et 76[2]), pacem Dardani factam in 83. demum libro narravisse, Licinianum autem descripto bello Mithradatico recurrere ad res priores. Itaque hoc quoque prorsus pugnat cum Madvigii sententia, qui Liciniani historiam existimat esse epitomen Livianam. Eodem fragmento refellitur edd. Bonn. opinio, qui fragmenta, quae nos habemus, non ipsius esse Liciniani, sed ex eius historia excerpta putabant. Quam accurate copioseque censendum esset „ipsum Licinianum" has res tradidisse, si hoc fragmentum esset excerptum

[1]) Apud Lic. (B 1) Nicomedis III uxor appellatur Nysa Ariarathis Cappadocum regis filia. Pertz p. 42 adn., Francken p. 259, Reinach p. 314 adn. 5 comparant Sall. Hist. IV, 19, 9 ed. Kritz (= IV, 69, 9 ed. Maurenbrecher). Sed dubito an, quam Sallustius appellat, Nysa quarti Nicomedis fuerit uxor. Cf. Ed. Meyer „Gesch. d. Königreichs Pontos" (Lips. 1879) p. 97 adn.

[2]) Ubi probabile est in codicibus permutationem esse factam cf. Reinach l. c. p. 109 adn. 2.

tantum ex eius historia! Praeterea non intellegi potest, cur haec ipsa narratio minime salsa epitomatori inprimis placuerit, si ut Francken (p. 245) dicit, ab eo „minus contracta fuit quam reliqua“.

Quotienscunque hoc fragmentum legebam, mirabar tam saepe commemorari Cyzicum urbem: Cyzicena est mater Socratis;[1] eo cum filio ablegatur; eodem revertitur Socrates, postquam frustra Romae a senatu regnum Bithynicum petivit; occisa denique sorore, cuius patrimonium arripere studet, a Cyzicenis indignatis et Nicomede cum iis coniuncto cogitur fugere. Videtur igitur Cyziceni cuiusdam narratio nobis esse servata velut illius Teucri Cyziceni,[2] sive Granius hunc ipsum ante oculos habuit, sive auctorem ad illum redeuntem secutus est.

Sed hanc digressionem, etiamsi Cyziceno scriptori eam deberi concedamus, tamen admirationem nobis movere necessarium est. Neque enim apparet, cur hanc maxime Licinianus dignam putaverit, quam operi suo insereret. Casu mea quidem sententia accidisse non potest, ut res Bithynicas scriptor multo copiosius enarraret, quam omnes ceteras res. Certa potius huius rationis causa quaedam videtur esse quaerenda, qua in re utrum ille in Bithynia natus an magistratu functus sit, in medio relinquo. Tametsi igitur nobis non licet quaestionem ad finem perducere, tamen quicunque proprietatem et dispositionem operis Liciniani cognoscere vult, eius magni interest de hoc fragmento, quod Madvig iniuria neglexit, diligentissime quaerere.

---

[1]) Si col. A 12 probamus Keilii coniecturam 'Hagne Cyzicena'. Pertz legit 'Hane Sicheana'.

[2]) De quo cf. Susemihl „Gesch. d. griech. Litt. in der Alexandrinerzeit“ II p. 376 adn. 159.

CAPUT II.

De bello Cimbrico.

I.

Transeamus ad Liciniani de bello Cimbrico fragmenta (fol. I et VIII, ed. Bonn. p. 16—20), quae quo in libro fuerint non constat. Prius fragmentum est de proeliis anno 649 (105) ad Rhodanum flumen commissis et quidem prima verba pertinent ad interitum M. Aurelii Scauri.

Hae res alibi accurate non traduntur nisi in Liv. per. 67: 'M. Aurelius Scaurus legatus consulis a Cimbris fuso exercitu captus est et cum in concilium ab eis advocatus deterreret eos ne Alpes transirent Italiam petituri eo quod diceret Romanos vinci non posse, a Boiorige feroci iuvene occisus est'. Paucis commemoratur Scauri mors a Vell. II, 12, 2; Tac. Germ. 37; Dion. Cass. fr. 89 (Melber); [Quint] decl. III, 13; Oros. V, 16, 2.[1]) Quae Granius praebet, concinunt cum Liv. per., nisi quod duas res addit: 1. 'equo deiectum' 2. 'ipsis petentibus ducem se tradere'.

Deinde apud Licinianum scriptum videmus de simultate inter Mallium[2]) et Caepionem duces orta. Sed cum pauca tantum de bello Cimbrico maximeque de iis, quae ante Marii imperium acciderunt, memoriae prodita sint atque etiam Plutarchus illa fere praetermittat, auctoribus de hac re praeter Licinianum careremus, nisi unus rerum scriptor, Dio Cassius fr. 89, copiosius

---

[1]) Falso Orosius proelia ad Rhodanum facta anno 642 (112) fuisse dicit ac, nisi forte nomen in codicibus depravatum est, M. Aemilium consularem appellat.

[2]) Nomen consulis traditur apud Lic. fol. I u 'Manlius', fol. VIII r 'Manilius'. Etiam in ceterorum scriptorum codicibus formas nominis maxime varias invenimus. Verum nomen, quod etiam inscriptiones (C. I. L. X, 1781; C. I. Gr. 2485) testantur, sine dubio est: Cn. Ma*ll*ius Maximus; cf. De-Vit, Onomasticon IV p. 288 et Mommsen (apud Borghesium „Oeuvres complètes" II p. 219 adn. 6), qui gentem Malliam plebeiam ab Manlia patricia separandam esse nos docet.

de illa simultate ageret.[1]) Atque Dio et Granius maximis de rebus consentiunt, nisi quod alter altero plus habet. Haec singula afferam: Post Scauri cladem Mallius proconsulem adhortatur, ut cum maiore exercitu copias suas coniungat. Qua in re Granius, cum dicit 'litteris supplicibus orasset' fortasse aliquantum modum transit, nam apud Dionem simpliciter scriptum est μετεπέμψατο τὸν Σερουΐλιον. Caepio, etsi primo recusaverat (Dio), tamen Rhodanum transgressus est (Lic.) veritus ne Mallius solus sibi laudem pararet (Dio): ex Granii verbis dilucide cognoscimus Caepionem primo in dextra fluminis ripa constitisse ac tum demum transiisse ad ripam sinistram. Qua re illustratur, quod Dio Caepionem respondentem facit Mallio τὴν ἑαυτοῦ ἑκάτερον δεῖν φυλάττειν et eiusdem verba καὶ ἦλθε μὲν πρὸς αὐτόν iam clariorem lucem accipiunt. Veram autem esse Liciniani narrationem testatur etiam Orosius, cum dicit: 'provincias sibi Rhodano flumine medio diviserunt'. Caepio, quamquam timido se consuli opem laturum esse gloriatur (Lic.), tamen commune cum eo consilium capere non vult (Dio.: οὔτε ἐν τῷ αὐτῷ χωρίῳ ηὐλίσατο οὔτε τι βούλευμα κοινὸν ἐποιήσατο; Lic.: ne communicare quidem cum eo consilium belli gerendi voluit), sed castra ponit inter Cimbros et Mallium, ut prior ab hostibus petatur (Dio). Tum Granius solus affert legatos missos esse a senatu Romano neque est, cur hanc narrationem Francken (l. c. p. 255) fictam esse existimet; immo vero maxime ea idonea est qua illustretur, quam debile atque infirmum tum fuerit imperium senatus.[2]) Contra Dio solus tradit, Mallium et Caepionem a militibus ad colloquium convenire coactos esse, sed acriore etiam ira inflammatos discessisse. Idem Cimbros dissensione ducum nondum perspecta legatos misisse dicit, qui cum Mallio agerent. Sed totus hic locus parum perspicuus est atque ab excerptore mutilatus esse videtur: ὡς δὲ πρὸς Μάλλιον ὑπατεύοντα διεκηρυκεύσαντο, ὁ Σερουΐλιος ἠγανάκτησεν, ὅτι μὴ πρὸς ἑαυτὸν ἐπρεσβεύσαντο, καὶ οὔτε τι συμβατικὸν ἀπεκρίνατο, ὀλίγου τε καὶ τοὺς πρεσβευτὰς διέφθειρεν. Post verbum enim ἐπρεσβεύσαντο

[1]) Paucissimis verbis hanc discordiam memorat Oros. V, 16, 2.

[2]) Sic iudicat etiam Neumann „Gesch. Roms während d. Verfalls der Rep.“ I p. 360.

necessario pro particula καὶ desiderantur haec fere: πρεσβευτῶν δὲ καὶ πρὸς αὐτὸν ἀφικομένων. Granius eius tantum legationis mentionem facit, quae ad Caepionem missa est, sed docet nos quid Germani postulaverint: 'agros petentes frumentumque quod sererent'. Ac ne hic quidem video, cur cum Franckenio (p. 252) credamus Licinianum illas condiciones, quas Germani a. 645 (109) Silano proposuissent (Flor. I, 38, 2; Liv. per. 65) falso transtulisse in annum 649 (105). Nam Germani non solum a. 645, sed quotienscunque in peregrinationibus cum Romanis agebant, agros postulabant.

Quodsi Dionis et Granii narrationem coniungimus — neque est, quod rebus ab utroque allatis fidem derogemus — non ita recte Mommsen (R. G. II p. 177) et Nitzsch (R. G. II p. 123) res ad Rhodanum gestas videntur describere, cum narrant Caepionem veritum, ne Mallius qui cum legatis Cimbrorum agebat, solus gloriam victoriae nancisceretur, sine illo temere suo exercitu in hostes invasisse. Immo necessarium est cogitare Cimbros etiam ad Caepionem misisse legatos, fortasse quod Mallius solus cum iis agere nolebat. Sed ille turpissime in eos egit (Dio, Lic.) nec multum afuit, quin eos necaret (Dio). Tum demum 'desperata pace'[1]) Cimbri postero die Caepionis castra aggressi expugnant[2]) et 'maxima pars exercitus deleta est' (Lic.).

[1]) Col. B 16 sqq. cod. habet: SUBMOU|T
UTDESPERATAPACEÁDOU..
CAPTAPOSTERODIECASTR.

Omnes coniecturae, quae 'capta' mutant, reiciendae sunt; nam „de his litteris, ut Pertz adnotat, dubitari non potest quas pater quoque h. l. exstare vidit". Verisimillimum mihi videtur, quod Bursian (in Fleckeis. ann. phil. LXXVII (1858) p. 650) coniecit: librarii oculis in praecedentem versum aberrantibus (ADOU|T) aliquid excidisse velut 'ad arma redirent'.

[2]) Illud enuntiatum, quo haec a Lic. traduntur, perturbatum est additamento. Nam verba 'neque adduci potuit, cum non multo abesset, ut exercitum iungeret' de Mallio vix possunt intellegi. Ea post 'voluit' (B 7) transponenda esse puto. Hac coniectura accepta et narratio plana fit et vitii origo facile potest cognosci. Nam librarius

Apparet igitur ex verbis Granianis Servilium priorem cladem accepisse idemque testantur hi:'

1. Sall. Jug. 114 'Per idem tempus advorsum Gallos ab ducibus nostris Q. Caepione et Cn. Manlio male pugnatum'.

2. Tac. Germ. 37 'At Germani Carbone et Cassio et Scauro Aurelio et Servilio Caepione Cn. quoque Manlio fusis vel captis quinque simul consulares exercitus populo Romano — abstulerunt'.

3. Vell. II, 12, 2 'Effusa — immanis vis Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat, cum Caepionem Manliumque consules et ante Carbonem Silanumque fudissent fugassentque in Galliis et exuissent exercitu'. — Neque enim casu factum videtur, ut omnes hi scriptores Servilium legatum primo loco commemorent.

4. Etiam Dionis verba: ἀλλ' ὡς καὶ πρότερος αὐτοῦ τοῖς Κίμβροις συμμίξων τήν τε δόξαν τοῦ πολέμου πᾶσαν ἀποισόμενος ἐν μέσῳ ἱδρύθη eundem ordinem probare videntur.

At Livius et qui eum sequuntur scriptores Mallii cladem ante Caepionis ponunt:

1. Liv. per. 67 'ab isdem hostibus Cn. Manlius consul et Q. Servilius Caepio procos. victi proelio castris quoque binis exuti sunt'.

2. Oros. V, 16, 1 'C. Manlius consul et Q. Caepio proconsule adversus Cimbros et Teutonas — missi — victi sunt'.

3. Eutrop. V, 1 'Dum bellum in Numidia contra Jugurtham geritur, Romani cons. M. Manilius et Q. Caepio a Cimbris et Teutonibus — victi sunt iuxta flumen Rhodanum'.

Dixeris forsitan hac re nihil probari nisi epitomatorum neglegentiam, quae etiam inde cognoscatur, quod Eutropius minus accurate Caepionem dicat consulem. Dixeris quoque consulto

---

ab NEQ (ADDUCI), quod in archetypo post 'voluit' erat, aberrasse videtur ad NEC (LEGATIS), quod haud multum aberat, deinde, cum defectum animadvertisset, verba 'neque — iungeret' in margine posuisse, unde postea ea falso loco in textum venisse iudicandum est. — Bursian illa verba loco tradito ita interpretatur, ut de exercitu Caepionis ex castris pulso ea dicta esse putet, id quod mihi non satis verisimile est.

Mallium, cum consul esset, ante legatum esse appellatum. Sed has coniecturas falsas esse clarissime ostendit:

4. Flor. I, 38, 4. 'Sed nec primum impetum barbarorum Silanus nec secundum Manilius nec tertium Caepio sustinere potuerunt'.

Quae verba cum sint certissima, de Flori errore cogitandum non est, praesertim cum qui praeterea ex Livio pendent, ipsi quoque tradant Mallium ante Caepionem ex proelio inferiorem discessisse. At Granii memoria non solum cum Sall., Tac., Vell.,[1]) Dione concinit, sed etiam temporum connexu melior comprobatur.[2]) Unde elucet fragmentum Liciniani, de quo nunc agitur, non excerptum ex libris Livianis, sed ex alio auctore eoque meliore haustum esse.

Alterius paginae eiusdem folii (ed. Bonn. p. 18) pauca tantum extricari possunt. Sinistra columna sine dubio clades Malliana narrata erat; in altera (v. 5 sqq.) inveniuntur verba 'eo convenerant . . . . . . quot reliqu[i] fuerunt', quae referenda sunt ad exercituum reliquias. V. 8 Hirschfeld mecum communicavit se in fragmento cognoscere diem pugnae apud Arausionem commissae, qui non traditur nisi apud Plut. Luc. 27. Leguntur enim haec: RINONC . . . OB, quae egregie sic putat supplendum: PRINONOCTOB = [p]ri(die) Non(as) O[ct]ob(res). Tum v. 7 post 'reliqui fuerunt' spatium vix aliud admittit atque '[pugn]a [f]a[cta est]'.

Sequuntur secundum ed. Bonn. v. 8 sqq. 'militu(m) [calon]umque[3])

---

[1]) Burmeister „de fontibus Vellei P." (Berol. 1894) quamquam demonstravit Livium fontem primarium Vellei fuisse, tamen etiam alios scriptores ab eo inspectos esse concedit. Nostro loco fortasse Nepotis chronicis usus est, quorum vestigia in c. 8—10 deprehendimus (cf. Burmeister p. 20 et 46).

[2]) Non recte Nitzsch (l. c. adn.) de temporum consecutione dubitare mihi videtur.

[3]) 'calonumque' certum esse mihi videtur, quod postea (v. 12) de equitibus sermo est neque de alio copiarum genere cogitari potest. — Verba, quae v. 12 sq. traduntur, fortasse sic supplenda sunt: 'consules et equites Romani e[x proelio effugerant]'.

non minus sem[u]l periisse existim[an]t[u]r . . .', quibus in verbis 'semul' (cod. SEMEL) maxime dubium est; numerus potius militum et calonum interfectorum pro 'semel' restituendus esse videtur. Quem Liv. per. 67 ita affert, ut milites et calones secernat: 'militum milia octoginta occisa, calonum et lixarum quadraginta secundum Arausionem', ubi numeri Antiatem sapiunt, quod affirmat Oros. V, 16, 3. 4 'octoginta milia Romanorum sociorumque ea tempestate trucidata, quadraginta milia calonum atque lixarum interfecta Antias scribit; ita ex omni penitus exercitu decem tantummodo homines, qui miserum nuntium ad augendas miserias reportarent, superfuisse referuntur.' Hos numeros ab Antiate fictos esse non est quod moneamus.[1]) Apparet autem Granii verba 'eo convenerant — quot reliqui fuerunt' non posse de decem hominibus dicta esse, ita ut ad Valerium Antiatem redire nequeat.[2])

Sed cave, ne inde confidenter concludas Livium Liciniano in manibus non fuisse. Licet enim conicere Livium praeter Antiatem etiam ex aliis auctoribus sumpsisse numeros. Nam Valerii narrationi maximeque numeris mirum in modum auctis diffisum eamque ob rem graviter in eum invectum esse Livium inter omnes constat. Quodsi recte statuimus Livio aliorum testimonia praesto fuisse, in illam epitomen Livianam deperditam, ex qua et periochae superstites et Orosius manaverunt,[3]) sola Antiatis

---

[1]) Diod. 36, 1 qui Posidonium sequitur (cf. Müllenhoff „Deutsche Altertumskunde" II p. 177 sqq.) prodit toto illo bello Gallico circiter LX milia militum periisse. Atque Vegetius, de re mil. III, 10, qui quamquam ut posterioris aetatis scriptor non ita magna fide dignus est, tamen non prorsus debet neglegi, etiam Marium reliquias amborum exercituum repperisse docet.

[2]) Hoc praeterit Franckenium (p. 251), qui v. 10 SEMEL mutat in XLMIL „ita ut scriptor calonum et lixarum quadraginta milia interempta esse nimis credulus ex Valerio Antiate repetiverit." Neque respicit Licinianum dicere de 'militibus [calon]ibus*que*' (v. 8/9). Quot autem MIL. ponenda sint, plane incertum manet.

[3]) Zangemeister „Die Periochä des Livius" in „Festschr. z. 36. (Karlsruher) Philologenversammlung" 1882 p. 89 sq.

memoria recepta est.[1]) Sed iam pridem viri docti animadverterunt Livium quamvis saepe Antiatis mendacia impugnaverit, nihilominus in compluribus libris eius annalibus tanquam fundamento historiarum suarum usum esse.[2]) Atque fortasse in iis quoque partibus, quae ad nostram quaestionem pertinent, eum secutus est. Müllenhoff (l. c. p. 125 sqq.) accurate demonstravit Livium interdum Posidonio Apamensi, fonte primario, neglecto annalium scriptorem Romanum inspexisse. Hoc ut exemplum afferam, inde apparet quod in describenda pugna apud Aquas Sextias commissa Plutarchus (in vita Marii), Posidonii assecla, prorsus dissentit ab Liv.-Orosio. Hunc annalium scriptorem fuisse ipsum Valerium nullo certo argumento Müllenhoff confirmat nisi loco Orosiano, quo numerus hominum ad Arausionem interfectorum ab Antiate repetitur. Etsi igitur de nomine mea quidem sententia minus certum est iudicium, tamen de re non est dubitandum. Atque verisimile est Livium etiam in enarrandis proeliis ad Rhodanum commissis ex illo annalium scriptore, non ex Posidonio hausisse. Nam hoc modo intellegi potest Livium falsum proeliorum ordinem praebere, quod si Posidonium ante oculos habuisset, valde miraremur.[3])

Sed ut ad Licinianum revertamur, quamquam ex illo loco quo de militum apud Arausionem caesorum numeris agitur, nihil certi[4]) colligi posse perspeximus, tamen quicunque diversam proeliorum consecutionem, quam supra memoravimus, respiciet,

---

[1]) Orosius etiam IV, 20, 21 tantummodo numeros Antiatis habet, non Polybii, quamquam Livius ipse (XXXVI, 19, 11) hunc praefert.

[2]) Nissen „Krit. Unters.“ p. 46.

[3]) Nullius momenti est, quod etiam Plut. Mar. 19 qui Posidonium sequitur, in descriptione pugnae apud Aquas Sextias commissae Mallium priore loco obiter affert (τῶν πολεμίων τὸ μαχιμώτατον μέρος, ὑφ' οὗ προήττοντο Ῥωμαῖοι μετὰ Μαλλίου καὶ Καιπίωνος πρότερον κτλ.) Nam haec verba ex memoria esse conscripta manifestum est.

[4]) Non video quo iure edd. Bonn. sine ulla dubitatione p. 19 adn. dicant: „discrepat Livi periocha“, cum numerus apud Lic. legi non possit.

facile concedet Licinianum in describendis his proeliis non adiisse Livium.

Iam videamus, appareatne vestigium quoddam, quo Liciniani auctor cognoscatur. Ex Granii cum Cassio Dione consensu, quem in singulis rebus supra deprehendimus, nihil hic licet concludere, cum quo ex fonte Dio pendeat, plane ignoremus. Sed fortasse proprietatem quandam grammaticam in usum nostrum conferre possumus.

Legimus enim p. 16 (ed. Bonn.) col. A: 'M. Aurelium Scaurum — ceperunt equo deiectum; nam is vocatus in concilium ab is nihil indignum viro Romano — aut fecit aut dixit. itaque interfectus est, cum posset effugere', ubi C. G. Schmidt (Phil. XIII p. 225) pro 'nam' proposuit 'iam', quod saepe cum illa particula in codicibus est commutatum[1]), sed ne haec quidem vox aptam praebet sententiam. Servata autem particula 'nam' constructionem habemus apud scriptores Latinos tam raram, ut apud Plautum solum occurrat:[2]) celeritate cogitandi adductus scriptor id enuntiatum, quod causam affert, ante id ponit, cuius causa affertur. Eo magis usitata est haec constructio apud Graecos scriptores[3]) non solum in versibus sed etiam in pedestri sermone: saepius posterius enuntiatum, quod particula γάρ declaratur, altera voce annectitur: sic invenimus apud Homerum τῷ, apud Herodotum ὦν (cf. VI, 11) vel τοιγαρῶν (IV, 149), apud Atticos οὖν (cf. Xen. Anab. V, 1, 8). His particulis apud Granium accuratissime respondet 'itaque'. Quae constructio non intelligi potest nisi Licinianum eam ex graeco aliquo fonte ad verbum in latinum convertisse censemus.[4])

---

[1]) Hand. Turs. III p. 157.

[2]) Kühner „Ausführl. Grammatik der lat. Sprache" II p. 717.

[3]) id. „Ausf. Gr. d. griech. Spr." II[2] p. 853 sq.

[4]) Ea quae sequuntur enuntiata male inter se coniunguntur; nam verba 'et nec ipsis petentibus etc.' referenda sunt ad 'nihil indignum — aut fecit aut dixit' et necessario ante 'itaque interfectus est' ponenda erant. Itaque edd. Bonn. ex hoc loco indicium epitomes repetunt: „memorata Scauri morte non sustinuit qui has historias excerpebat omittere hoc romanae virtutis specimen addiditque illius suae quam novimus particulae ope" (p. XVIII med.). Quam conclusionem

Graecos enim scriptores inter Granii fontes fuisse capite I. satis probatum est, ita ut non dubitem Granio etiam bellum Cimbricum enarranti Graecum vindicare auctorem. Sed quis ille fuerit, in coniectura positum est. Cogitare possis de historia graeca Rutili Rufi, cuius in rem publicam merita in altero fragmento (p. 20 col. B) laudibus efferantur (cf. infra). Equidem conicio Licinianum redire ad Posidonium,[1]) gravissimum belli Cimbrici narrationis auctorem, per Strabonis ὑπομνήματα ἱστορικά ei subministratum, propterea quod Strabonem in bello civili describendo fontem primarium fuisse cum aliqua veri similitudine infra me demonstraturum esse spero. Sed licet nomen scriptoris pro certo extricari non possit, tamen prorsus aliter de hoc fragmento iudicandum esse cognovimus atque adhuc viri docti censebant.

II.

Exstat alterum de bello Cimbrico fragmentum (fol. VIII r, ed. Bonn. p. 20), quo agitur de rebus eodem anno 649 (105) gestis. Col. A exponitur de multis prodigiis, quae post cladem

necessariam esse equidem non contenderim. Haud minus bona videtur haec explicatio: in Graeco fonte enuntiatum ('et nec ipsis etc.') causali aliqua particula cum antecedenti enuntiato ('nihil indignum — fecit') coniunctum erat, quod Granius non ita apte sane suae particulae ope 'et' annexuit. — Ceterum ex structura 'nam — itaque' apparet, quam accurate Lic. vestigia auctoris presserit.

[1]) Hac coniectura accepta facile etiam explicari potest, quomodo factum sit, ut Dio de Caepione et Mallio idem fere traderet atque Licinianus. Constat enim Dionem Polybio usum esse (cf. Baumgartner „Über d. Quellen des C. D. für die ältere röm. Gesch.“ Tubing. 1880). Cur igitur non credamus illum ex eo quoque hausisse, qui Polybii historias continuavit? Utique negandum esse puto, quod Müllenhoff p. 123 adn. statuit, Dionis narrationem ex Livii libris derivatam esse, cum Cassius Dio verum proeliorum apud Arausionem factorum ordinem noverit. Consensum autem, qui inter Dion. fr. 92, 2 et Orosium Florumque intercedit (Müllenhoff p. 142 adn.) ita expedio, ut Livium et Cassium ex eodem auctore, nempe ex Posidonio, pendere censeam.

apud Arausionem a Romanis acceptam visa sint. Horum alterum et tertium mutato quidem ordine etiam apud Jul. Obs. 42 occurrunt. Neque inutile esse videtur utriusque verba inter se comparare:

Lic.	Jul. Obs.
et in Sabinis Martis signum in c[ap]ut devolutum nuntiatur, et die quodam an[te] ludos qui futuri erant[1]) [c]um tubicines apud aram concinerent, [a]ngues nigri subito ap[pa]ruerunt neq(ue) ante [inter] se concurrere et mor[si]b(us) mult[i]s invadere [d]esiverunt quam tubicines conticuissent, nec usquam derepente apparuerunt.	P. Rutilio Cn. Manlio coss. Trebulae Mutuescae antequam ludi committerentur canente tibicine angues nigri aram circumdederunt, desinente cantare dilapsi; postero die exorti a populo lapidibus enecati; foribus templi adapertis simulacrum Martis ligneum capite stans inventum.

Quamquam non est, quod censeamus haec prodigia a Graeco auctore, quem Liciniano praesto fuisse statuimus, praetermissa esse,[2]) tamen Granius a priore fonte recessisse putandus est; nam firmo argumento infra evincam scriptorem altero quoque fonte in hoc fragmento usum esse. Atque cum Granius valde concinat cum Obsequente, primum cogitabimus de Livio.[3]) Neque impedimento est, quod apud Obsequentem duo tantum prodigia Graniana leguntur; nam illum epitomen tantum Livianam ante oculos habuisse inter omnes constat. Ac si quis putet Liciniani verba 'nec usquam derepente apparuerunt' non ita quadrare ad Livii 'postero die exorti etc.', equidem Licinianum cum Livio non

[1]) Fortasse nomen dei vel deae excidit.

[2]) Nam et Posidonius et Strabo prodigia et omina diligenter collegerunt cf. Diels „Sibyll. Blätter“ (Berol. 1890) p. 21 et Otto in stud. Lips. XI suppl. (1889) p. 281 et 303.

[3]) Cur iis locis, quibus Licinianus congruit cum Liviana memoria, illum putemus non ex Livio ipso sed eius fonte hausisse, non intellego. Omnino potius Livium illi ignotum fuisse cogitari nequit, si reputamus, quanta auctoritate Livius tum inter scriptores floruerit.

discrepare arbitror, dummodo illius sententiam recte percipias. Nam verba 'derepente' et 'non apparuerunt', quae primo oculorum obtutu inter se pugnare videntur, ita interpretanda sunt, ut germanice vertas: „und plötzlich waren sie nirgendwo mehr sichtbar i. e. sie verschwanden plötzlich."

Magni momenti ad Liciniani rationem historias scribendi cognoscendam sunt verba col. B 4 sqq. 'Cn. Manilius ob eandem causam quam et Caepio L. Saturnini rogatione e civitate [plebis]cito eiectus'. Neglegamus nunc uncos ab edd. Bonn. positos et consideremus diligenter ipsa verba Graniana. Tum clare cognoscitur iam prius de Caepionis sorte expositum fuisse. Nam verba 'quam et Caepio' tantummodo referenda sunt ad verba 'ob eandem causam', quae per se nullum sensum praebent. Quae causa fuerit, iam antea explicatum fuisse censendum est. Accedit quod si non ita fuisset, Caepio ut graviore culpa inquinatus certe appellatus esset priore loco. Postremo verba 'e civitate eiectus' accurate intellegi non possunt de Caepione, qui si cetera, quae de exitu eius traduntur, non omittimus, capitis damnatus est, non exilio multatus.[1]) Effugit quidem custodiam a tribuno adiutus (Val. Max. IV, 7, 3), sed hac re verba 'e civitate eiectus' non satis explanantur.

Itaque Mommsenum (R. G. II p. 179 adn.), qui omnia quae apud scriptores de Caepione damnato dispersa sunt collegit, iniuria verbis quoque Granianis uti puto et rogationem Saturnini ab illo commemoratam eandem arbitrari atque legem de imminuta maiestate populi Romani a Saturnino tribuno pl. a. 651 (103) perlatam. Apud Ciceronem autem compluribus locis (de orat. II, 40, 167; 48, 199; or. part. 30, 105 etc.) C. Norbanus tribunus pl. traditur perfecisse, ut Caepio condemnaretur, et ob eam causam a. 659 (95) accusatus esse. Quod testimonium Mommsen ita explicat, ut leges plerumque a compluribus tribunis plebis latas esse indicet; cum autem Saturninus iam de vita decessisset eo tempore quo optimates ulturi essent, collegam eius esse damnatum. Sed primum si re vera Saturninus una cum Norbano

---

[1]) Cf. Neumann l. c. I p. 412 sq.

legem tulisset, miraremur eum apud Ciceronem, qui de his rebus singula accuratissime exponit, nusquam nominari. Tum Mommseni sententia nullo argumento nititur nisi verbis Granianis, quae eum non recte interpretari censeo.

A Norbano igitur Caepio lege Saturnini de imminuta maiestate p. R. modo perlata reus factus est. Qua in re sequor Neumannium (l. c. p. 411 sq.), sed errat idem cum putat Granium neglegenter hoc loco Saturninum nominare pro Norbano. Verba enim 'Saturnini rogatione' tantum intellegenda sunt de Mallii accusatione; atque cur hanc Saturninus ipse suscepisse non putandus sit, non video: uterque tribunus pari diligentia studuit contra nobilium factionem pugnare.

Hoc Liciniani loco verba Ciceronis satis obscura (de orat. II, 28, 125 'Quid ego de Cn. Mallii . . . . commiseratione dicam?') clara fiunt. Cum alibi nihil de Mallio condemnato tradatur, ignoramus quo crimine accusatus sit. Quodsi apud Granium scriptum videmus 'ob eandem causam quam et Caepio', elucet ne eum quidem in pugna apud Arausionem facta laude dignum se praebuisse, nisi forte acerrimo partium studio factum est, ut collega collegae fortunam pateretur.

Iam videamus, quid inde de Liciniani auctore concludendum sit. Si constat scriptorem iam antea de Caepione narravisse, apparet ea, quae nostro loco dicuntur, addita esse ex alio fonte. Tum facilius intelligitur, quomodo factum sit, ut temporum ordinem confunderet Licinianus. Cogitari enim potest eum statim clade illa narrata de Caepionis sorte exposuisse secundum Graecum auctorem, apud quem rectum rerum per tres annos (649—51) gestarum ordinem fortasse repperit sibi ipse parum conscius, cum ille Graecus auctor vix annalium scriptorum ratione singulorum annorum res gestas explanaret; in scribendo autem eum Latinum quoque fontem inspexisse atque inde prodigia illa et fortasse alia quae ad nos non pervenerunt narrationi inseruisse, sed cum Latinum auctorem legere pergeret, vidisse se res ad Caepionem pertinentes iam narrasse, eaque de causa haec tantum addidisse, quae de Mallio scripta videmus, cum non perspiceret haec biennio posterius esse facta. Postremo Granius redisse ad priorem fontem

existimandus est; nam ea, quae sequuntur, rursus in a. 649 (105) incidunt.

Liciniani temporum error, de quo nemo dubitat, quomodo aliter explicari possit, non video. Nam „epitomatorem" propter nomen Mallii, quod infra occurrit, nonnulla, quae duobus annis post facta sunt, falso hic inseruisse edd. Bonn. mihi non persuaserunt. Praeterea 'collega Manili', quod proximis versibus legimus, testimonio est antea de Mallio sermonem fuisse.[1]) Ob eandem causam nemo statuere poterit verba 'Cn. Manilius — eiectus' a librario nescio quo margini adscripta in textum irrepsisse. Ac si quis putet illa verba ex alio loco operis huc transposita esse, ei demonstrandum est quomodo factum sit, ut enuntiatum de quo agitur huc transponeretur. Praeterea contra hanc quoque suspicionem pugnant verba 'collega Manili', de quibus modo disseruimus.

Iam vero nos convertamus ad proxima verba, quae ut tradita sunt, magnam difficultatem praebent: 'Rutilius cos. collega | Manili hoc anno Cn. | Pompeius natus est so|lus superrep.onit aeq(ue) | adq(ue) Cicero cum metus | adventa(n)tium Cimbro|rum totam quateret | civitatem, iusiuran|dum a iuniorib(us) exegit etc.' Ac Pertz iudicavit verba 'Rutilius cos. collega Manili' — cetera depravata reliquit — titulum novi anni in Liciniani „Annalibus" esse: proinde quasi unquam annus significatus sit alterius consulis nomine. Neque intelligitur, quid sibi velit haec inscriptio, cum iam antea de rebus a. 649 (105) gestis agatur.[2]) Aliam rationem ingressi sunt edd. Bonn., qui verba 'Rutilius — Manili' subiectum putant posteriorum verborum 'iusiurandum exegit', cum Pertz ut subiectum haberet nimis licenter subaudiret 'senatus'. Verba autem quae intercedunt 'hoc — Cicero' illi additamentum censent esse ab epitomatore factum. Quod in additamentum rursus arbitrantur verba nonnulla esse inculcata, cum sic textum restituant: 'hoc anno Cn. Pompeius natus est — solus super[io]re ponit —

---

[1]) Id quod iam edd. Bonn. p. XVII non praeteriit, qui si sibi constarent etiam verba 'collega Manili' includere debebant.

[2]) Nam Pertzium prodigia illa anno 648 (106) fuisse opinantem in errorem incidisse (cf. Jul. Obs. l. c.) nemo infitiatur.

aeque atque Cicero'. Difficultatem igitur huius loci ita expedire conantur, ut dicant (p. 21 adn.): „Granius Pompeium natum esse scripserat a. *647* (107), ceteri a. 648 (106), unde addidit epitomator 'solus superiore ponit', et ipse ad annum 648 Cn. Pompeium et Ciceronem natos esse adnotavit; duo haec additamenta in codice confusa in narrationem a. 649 (105) inrepserunt."

Quam coniecturam satis artificiosam iam refutavit Linker (l. c. p. 637 sqq.), cuius argumentationi pauca addenda esse existimo. Edd. Bonn., cum legant 'solus superiore ponit' ipsius Granii verbis nituntur (fol. V r, p. 38 A 2 sqq.) 'Pompeius annos natus XXV eq[ue]s Ro[manus, qu]od nemo antea, propraetore ex Africa triu[mph]avit IIII idus Martias'. Si enim Pompeius a. 673 (81) triumphasset, atque Licinianus IIII id. Mart. huius anni XXV annos ei daret, necessario concludendum est a. 647 (107) natum esse Pompeium illum censuisse. Sed totius huius argumentationis fundamentum satis incertum est.

Cn. Pompeius natus erat prid. Kal. Oct. anni 648 (106) (Vell. II, 53; Plin. h. n. XXXVII, 2, 13; Hieron. in Euseb. Chron. ed. Schoene II p. 131). Triumphavit ex Africa secundum Liv. per. 89: 'quattuor et viginti annos natus' i. e. vitae suae anno vicesimo quinto i. e. inde ab ultimo Sept a. 672 usque ad ult. Sept. a. 673 (82—81). Quod si verum esset, triumphi dies, quem uni Granio debemus, esset IIII id. Mart. 673 (81). Secundum Eutrop. V, 9 Pompeius triumphavit 'quartum et vicesimum annum agens' i. e. a. 672 (82), at secundum Ps.-Aurel. Vict. de vir. ill. 77 'viginti sex annos natus' i. e. anno demum 675 (79). Plut. Pomp. 12 tradit eum ἄγοντα τέταρτον καὶ εἰκοστόν subegisse Africam, sed quot annos Pompeius habuerit triumphans adnotare supersedit. Multi viri docti (ut Fischer „Röm. Zeittafeln" p. 188 aliique) putant annum 673 (81) in Liv. per. traditum erui posse etiam ex actis triumphorum (C. I. L. I² p. 49), ubi post Sullae triumphum a. 673 de Mithradate actum alter triumphus erat allatus, cuius numerus tantum hodie legi potest. At Drumann („Gesch. Roms" IV p. 337) et Lange („Röm. Altert." III p. 169) triumphum in anno 674 (80), Mommsen (R. G. II p. 333) et post eum Henzen (C. I. L. I² p. 178) in a. 675 (79) posuerunt, non tam una ex

tot contrariis narrationibus confisi quam res in universum considerantes. Equidem me Drumanno adsentiri confiteor. Tum enim illustratur, id quod Plut. Pomp. 14 tradit, Pompeio inprimis obstitisse P. Servilium Vatiam, qui cum consul designatus anni 675 (79) esset, primus sententiam esse rogatus putandus est. Ad hanc autem sententiam optime quadrant Granii verba 'annos natus XXV triumphavit'.[1]) — Sequuntur apud Licinianum p. 38 A 14 sqq. Murenae triumphus ex Asia et Valerii Flacci triumphus ex Celtiberia et Gallia actus, quorum annus non constat, praesertim cum Flacci triumphus alibi non commemoretur. Cum autem Lucullorum aedilitas, de qua proximo versu agitur, a. 675 (79) fuerit (Drumann IV p. 123), Linker omnes has res eodem anno actas esse putat quo Pompeii triumphum, anno 675 (79). Neque vero animadvertit illam lacunam, quae in actis triumphorum sub anno 673 (81) est, explendam esse idque, ut verisimillimum est, triumpho Murenae (Drumann IV p. 185 adn. 89 et C. I. L. I^2 p. 54 et 178). Accedit quod si Linkerum sequeremur, ex Granii verbis 'annos natus XXV triumphavit' accurate perceptis efficeretur, ut scriptor Pompeium anno *649* (105) natum esse censeret. Quodsi Licinianus Murenae triumphum anni 673 (81) post Pompei anno 674 (80) actum commemoravit, aut Pompei triumpho de ceteris eodem fere tempore actis admonitus esse aut ex novo aliquo fonte neglecta temporum ratione eos addidisse videtur.

Sed utut res se habet, hoc elucet, si omnia demonstrant Pompeium a. 674 (80) triumphavisse, coniecturae edd. Bonn., quam accipit etiam Francken (p. 248) nullum iam exstare fundamentum. Neque opus est Linkeri argumentum in medium proferre, qui ostendit etiamsi Licinianus triumphum anno 673 (81) vindicasset, tamen Pompeii triumphum anno aetatis XXVI

[1]) Livii epitomator et Eutropius, qui triumphantem Pompeium XXIV vel XXIII annos natum esse tradunt (nisi forte numeri in codicibus depravati sunt), in errorem ducti esse mihi videntur, quod XXIII annos natus Africam provinciam accepit. Iam Drumann (IV p. 331) suspicabatur bellum cum Domitio Ahenobarbo in Africa gerendum ei non Sicilia demum expugnata mandatum sed iam a principio (anno 672 [82]) ambas provincias ei datas esse.

actum non pugnare cum anno natali 648, quoniam scriptores Romani saepe annum nondum perfectum ut plenum numerent. Idem Linker mihi persuasit nullum epitomatorem, ut edd. Bonn. hic statuunt, voce 'solus' nomine non adiecto usum esse, ut scriptorem quem excerpebat significaret. Quomodo postremo haec epitomatoris additamenta, quae in rerum anno 648 (106) gestarum descriptione exspectamus, in insequentis anni res enarrandas penetraverint, etiam edd. Bonn. „sollertioris ingenii viris divinandum" relinquunt. Apparet igitur ipsos illos viros doctos suam coniecturam audacissimam non potuisse ad finem perducere.

Ergo aliud de hoc loco iudicium est faciendum.

Linker pro 'solus superreponit' exspectat 'filius Strabonis' vel 'salus reipublicae'. Sed haec coniectura parum congruit cum litteris traditis, quas hoc folio uterque Pertz testatur. Neque verisimile est verba tanti momenti in his paucis scripta fuisse. Videtur autem Linker totum enuntiatum, quod falso loco in textum irrepserit, ipsi Liciniano vindicare.

Propius ad verum accessit Madvig, cum de hoc loco statuit Licinianum scripsisse: 'Rutilius cos. collega Manili solus supere[rat] itaque cum metus etc.', verba autem 'hoc anno Cn. Pompeius natus est | atque Cicero' in margine apposita postea ab neglegenti librario in duas partes discissa et cum altero enuntiato mixta esse. Quod facile fieri posse intelligitur ex his:

RUTILIUS
COS.COLLEGAMANILI HOCANNOCNPOM PEIUSNATUSEST
SOLUSSUPERERATITAQ. ADQ.CICERO
CUMMETUS etc.

Hoc autem assentiri non possum Madvigio verba ab ipso Liciniano in margine esse apposita, qui cum fons in fine prioris anni 648 (106) commemoraret eum esse Pompei et Ciceronis annum natalem, hanc adnotationem falso in initium anni 649 (105) transtulisset. Primum enim non verum est Granium initio anni 649 esse. Deinde nemo erit qui credat Liciniano pugna apud Arausionem commissa et quae hanc sequebantur rebus accuratissime narratis fortuito in mentem venisse pauca ex fonte suo hic addere, quae antecedenti anno iam facta erant.

Ac ne ita quidem hic temporum error explicari potest, ut eum ortum putemus inde quod Granius illud enuntiatum ex fonte secundario sumpsit; nam hic eum iam in a. 651 (103) deduxerat. Postremo iam commemoravimus Licinianum, cum Pompeium sextum et vicesimum annum agentem triumphavisse tradat, ut ceteros scriptores anno 648 (106) natum esse Pompeium narravisse.

Sequitur, ut verba in margine apposita posteriore manu addita esse putemus. Haec iam Bernays et Mommsen censuisse videntur; quamquam ex Pertzii verbis (praef. p. XVI adn. 2) colligendum est illos verba 'Rutilius cos. collega Manili' insiticia existimasse, sed Pertz fortasse non recte intellexit, quid illi voluerint.[1])

Madvigii autem coniectura 'solus supere[rat] itaque cum' num ad verum accedat, dubito. Praeferendum esse videtur, quod Hirschfeld mihi commendavit: 'solus sub[u]r[b]e po[s]it(us)'[2]), cum 'aeque' ab 'atque' non separandum vocabulum enuntiati in margine ascripti esse putet: eoque praeferendum, quod hoc supplemento litterae traditae accuratius servantur quam Madvigii coniectura, qua nonnullae litterae negleguntur.[3])

In ea parte, de qua nunc disserimus, Licinianum ad priorem fontem, fortasse Posidonium vel Strabonem, redisse iam supra admonuimus. Quae postea afferuntur, nova sunt:[4]) Rutilius, cum horror Cimbricus in omnes invasisset, iuniores iureiurando astringit, ne ex Italia excedant; praetera vetat homines minores XXXV annorum in navem recipi. Quae edicta, cur ad equites tantum, non ad omnes iuniores pertinuisse censeat Ihne (R. G. V p. 180 adn. 1), equidem non video: quod prius bello cum Hannibale gesto imperatum est, hic nihil probat.

His verbis fragmentum desinit.

---

[1]) Etiam edd. Bonn. p. 21 adnotant: 'hoc — Cicero 'glossema iudicarunt B. M.

[2]) Mommsen mecum communicavit: 'super rep(ublica) sollicitus.'

[3]) Hirschfeld Madvigii coniecturam inprimis refutat, quod antecedentia verba 'Cn. Manilius — eiectus' non Granii esse sed alia manu hic inserta esse censet.

[4]) Alia, quae Rutilius imperat, tradit Val. Max. II, 3, 2.

CAPUT III.

De bello civili Mariano.

Proximum de bello civili Mariano fragmentum, cum quattuor contineat paginas continuas (fol. VII et III, ed. Bonn. p. 22—28), ad indolem naturamque operis Liciniani dispiciendam simulque ad fontes eius investigandos maxime nos adiuvabit. Cum illa fragmenta, quae prioribus capitibus in examen vocavimus, adhuc plane fere neglecta sint, has, de quibus iam quaestionem sumus inituri, reliquias non praetermiserunt viri docti, qui de scriptoribus aetatis Sullanae egerunt veluti Klebs „de scriptoribus aetatis Sullanae“ (diss. Berol. 1876) p. 5 sq., Kiewiet de Jonge „de C. Mario et de scriptoribus, qui de eius temporibus egerunt“ (diss. Groning. 1881) p. 52 et 93 sqq., Bienkowski „de fontibus et auctoritate scriptorum historiae Sertorianae“ (Cracoviae 1890) p. 36 sqq. Ac tamen hi omnes mihi videntur a falsis principiis esse profecti, cum collectis aliquot locis, quibus Liciniani narratio cum Liviana congruit, discrepantiis neglectis praepropere statuant quae Licinianus referat fluxisse omnia ex Livio vel eius fonte. At equidem singula potius singillatim et minutatim comparanda rimandaque puto: nam ad certum iudicium tum demum perveniri poterit, cum omnia collegerimus unumque in conspectum redegerimus.

Sed haec antequam persequemur, breviter circumspiciendum erit, quinam scriptores Romani nobis servaverint belli Octaviani, ut cum Cicerone loquar, memoriam atque quae de eorum fontibus sententiae prolatae quaeque probandae sint.

Primo loco, si copiam rerum narratarum spectamus, commemorandus est Appianus. De fontibus, quibus App. in bell. civ. l. I usus est, virorum doctorum iudicia perdiu in partes abierunt diversas. Primus Niebuhr (Vorträge ed. Isler I p. 60, 254; R. G. II[3] p. 61 adn.) contenderat Appianum in historia posteriorum temporum describenda ex Posidonio hausisse sicut antea ex Polybio; sed ut persaepe nihil addiderat, quo sententiam suam probaret. Idem crediderunt deinde Kiene „Der röm. Bundesgenossenkrieg“

(Lips. 1845) p. 318 et Wijnne „de fide et auctoritate Appiani“ (Groningae 1855) p. 10 — hic autem praeter Posidonium etiam Livium libri I App. fontem existimat — sed argumenta ab illis allata erant nulla: uterque nisus erat auctoritate Niebuhrii.[1]) Contra Klebs in dissertatione sua totam Appiani narrationem rerum inde ab a. 666 usque ad mortem Sullae gestarum Livio deberi censuit. Atque etiam Kuyper „de fontibus Plutarchi et Appiani in vita Sullae enarranda“ (diss. Rheno-Traiect. 1882) in 'bello civili' res a Sulla gestas secundum Livium traditas esse statuit exceptis paucis capitibus (72 sqq.), quibus Marii exitus describitur; cuius narrationis auctorem arbitrabatur Posidonium (cf. p. 54). Adversus hos rectissime, ut opinor, tum Franklin Arnold „Untersuchungen über Theophanes v. Mytilene u. Posidonius v. Apamea“ in Fleckeis. ann. phil. suppl. XIII (1884) p. 100 sqq. demonstravit Appiani auctorem inter Graecos quaerendum esse atque longe plurima libri I (capp. 54—106) ex Posidonio fluxisse. Hanc sententiam G. Busolt „Quellenkritische Beiträge zur Gesch. d. röm. Revolutionszeit“ in Fleckeis. ann. phil. CXLI (1890) p. 312 sqq. et 405 sqq. novis argumentis firmavit. Nonnullas quidem libri I particulas maximeque eas, quae ad historiam Livii Drusi atque belli socialis pertinent, non posse ad Posidonium redire, sed ex Livio esse derivatas Busolt, qui accuratam de toto libro I quaestionem habuit, atque iam antea E. Marcks „Die Überlieferung des Bundesgenossenkrieges“ (diss. Argent. 1884) luculenter perspexerunt, sed ea capita, quibus bellum Octavianum describitur, certissime demonstratum est hausta esse ex Posidonio (cf. Arnold p. 105 sqq., Busolt p. 337 sq., 428 sqq.). Accedit, quod iam antea Otto in stud. Lips. suppl. XI (1889) reliquos Appiani bellorum civilium libros maxima ex parte atque librum, qui est de bellis Mithradaticis, totum e Strabonis hypomnematis manavisse simulque etiam Vogel „Quaestiones Plutarcheae“ (diss. Marburg. 1889) ubicunque Appianus et Plutarchus eodem fonte graeco usi essent, hunc Strabonem fuisse ostenderat. Quamobrem facile quispiam possit conicere etiam in libro I per

[1]) Cf. Klebs l. c. p. 63.

Strabonem Posidonii narrationem Appiano datam esse[1]): nam Strabonis primarium fontem fuisse Posidonium inter omnes constat (cf. Otto p. 223). Sed Appianus utrum hunc ipsum excerpserit an per Strabonem subministratum, nunc in dubio relinquendum videtur, cum ad nostram quaestionem diiudicandam minimi momenti sit. Hoc autem semper tenendum erit iis partibus Appiani, quae ad nostram rem pertinent, subesse Posidonium[2]), etiamsi in illam Klebsii sententiam iam diu refutatam et abiectam rursus rediit Bienkowski l. c. p. 4 et 37 plane neglectis recentioribus Arnoldi et Ottonis disputatiunculis.

Alter inter scriptores, qui res a. 667 (87) gestas tradiderunt, auctor nobis occurrit Plutarchus in vita Marii. Plutarchi fontes explorare multo difficilius esse quam Appiani iam pridem viri docti animadverterunt. Nam cum hic paene semper unum scriptorem sine proprio iudicio excerpserit, ille complures simul adiit auctores eorumque narrationem saepe contexuit. Sic etiam in vita Marii Posidonium simulque Livium secutus est, praeterea subsidiarios adhibuit commentarios Sullae. Illos Plutarchi fontes esse in universum iam recte intellexerat Peter „Die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer“ (Halis 1865) p. 100 sqq., in singulis autem quibusdam rebus corrigendus erat ab Busoltio l. c. p. 336 sq. et saepius. Idem evidenter demonstrat Plutarchum

---

[1]) Quod etiam coniecit, ut Otto p. 284 adnotat, B. Niese in Herm. XXIII (1888) p. 413 adn. 2 comparans Appiani c. 7 sq. et Plutarchi Tib. Gracch. c. 8.

[2]) Hoc ne E. Schwartz quidem, cuius de Appiano disputatio (in Pauly, Realenc. II² p. 216 sqq.) modo in lucem prodiit, negare audet (cf. p. 222 med.), quamquam illam sententiam Appianum ex Posidonio vel Strabone ipso hausisse vehementer impugnat. Immo latinum aliquem scriptorem, qui Posidonium Livium aliosque contaminaverit, censet ab Appiano excerptum esse. Minime autem mihi persuasit. Satis est hoc unum afferre: Ex eo, quod Appianus et Plutarchus non solum in rebus, sed etiam in ipsis vocabulis saepe mirum in modum conspirant, necessario mea quidem sententia concludendum est ab illis adhibitum esse eundem auctorem Graecum. Atque accedunt aliae res, quibus ad Graecum scriptorem adducimur.

in fuga Marii enarranda cc. 38 et 39, quae aliqua ex parte infra in censum venient, Livii et Posidonii narrationem contaminasse; sed cap. 41 sqq., quae belli Octaviani memoriam continent, redeunt ad eundem fontem atque Appianus, ad solum Posidonium (cf. Peter p. 103; Busolt p. 428); Livium in hac parte Plutarcho iam non ante oculos fuisse infra novo argumento evincam.

Tertio loco memorandus est Livius. Cum eius libri, qui ad aetatem a nobis tractatam pertinebant, ad nos non pervenerint, refugiendum est ad exiguas periochas (79, 80) Liviique epitomatores. Dico primum Orosium, qui omnium accuratissime illas res exposuit (V, 19), deinde (ut omittam eos, qui de bello Octaviano nihil tradiderunt) Valerium Maximum, Florum, Eutropium, Julium Obsequentem, Augustinum, quos omnes ex Livio vel epitome quadam Liviana hausisse inter omnes constat.[1]) Horum numero nunc sine ulla dubitatione ascribere possumus etiam Velleium Paterculum (II, 20 sq.), cui in libro II Livium (equidem potius velim epitomen Livianam) longe plurimam materiam praebuisse nuperrime Burmeister „de fontibus Vellei P." (Berol. 1894) nos docuit (cf. p. 50 sqq.). Quos autem Livius in Mariano bello civili habuerit auctores, difficillimum est enucleare. Id quidem nunquam refelli potest, quod Busolt satis multis locis maxime planum fecit, Livium in intestinis rebus Italicis enarrandis non pendere ex Posidonio, cum in extera huius temporis historia describenda certe illo usus sit. Deinde Sullae commentarios Livium hic atque illic legisse verisimile est (cf. Busolt p. 426). In iudicio de Pompeio Strabone facto eum fortasse Rutilium Rufum secutum esse infra cognoscemus. Quos autem alios scriptores (Claudium Quadrigarium vel Valerium Antiatem?) inspexerit, plane ignoramus; hoc tantum constat Livii auctores optimatibus favisse.

Accedunt denique ad historiam a. 667 restituendam nonnulla Cassii Dionis fragmenta (fr. 100, 1—11 Melber), quorum non amplius duo ad res a Liciniano traditas spectant; Diodori autem quattuor fragmenta, quae ad bellum Octavianum pertinent, referenda

[1]) Quae de hac re scripta sint, accurate collecta invenies apud Maurenbrecherum, proll. ad Sall. Hist. Reliquias p. 10 sqq.

sunt ad res extremi anni 667 in Liciniani narratione non iam servatas.

Hanc memoriam parcissimam videbimus valde auctam esse a Liciniano. Quibus praemissis ad ipsum propositum transgrediamur.

Initium fragmenti[1]) est de rebus illis, quae etiam in Liv. per. 79 attinguntur his verbis: 'L. Cornelius Cinna cos. . . . pulsus urbe ab Cn. Octavio collega cum sex tribunis plebis'. Antea apud Granium necessario narratum erat proelium in viis urbis inter consules commissum.[2]) Cinna, qui Octavianis cesserat, a senatu magistratu privatus est (Liv. per. 79, Vell. II, 20, 3, App. I, 65), si Appiano credimus, quod in periculo urbem reliquisset servisque libertatem promisisset. Qua re procul dubio leges reipublicae laesae erant. Quod ut honesta praescriptione tegeretur, fortasse consilium illud divinum, quod a solo Granio[3]) commemoratur, feliciter in libris Sibyllinis exquisitum vel fictum est. Sed Granium dissentire ab Appiano, cum ille Cinnam ex vaticinio illo tradat magistratu remotum esse, non ea de causa, quam afferat Appianus, falso Neumannium statuere puto. Nam ex verbis Liciniani 'placuit et' concludendum potius est iam antea legum violationem factam

---

[1]) Quid de primis verbis 'ipsum facere nisi quod illa evasisset' censendum sit, nescio neque quidquam certi puto inveniri posse. Divinavit magis quam textum restituit Francken p. 241, qui supplet: '[Censet senatus non videri quicquam contra R.] P.[e]um (i. e. Octavium) facere nisi quod illae[sum mi]sisset (sc. Cinnam)'.

[2]) Mommsen, R. G. II p. 306 sqq., Neumann, Gesch. R. I p. 547 sqq.

[5]) Conf. Bender, morum doctrinae apud Hesiodum initia (Bonn 1840) p. 2 sq., Bernhardy, hist. litt. Gr. I, 336 sq., II. 1, 286 sq. (ed. 8), Vogel. l. c. p. 10—12.

[6]) Artioribus quam par est finibus oeconomica praecepta circumscribi volunt Goettlingius ed. 1. praef. p. XVIII et qui eiusdem viri docti sententiam verbis paululum mutatis repetiit Flachius ed. 8 praef. XXXIII sq.

iudicandum est, quae lyrici saec. VII et VI vates, et elegiaci et iambographi — gnomicum genus a more poëtarum priscae illius aetatis abhorret[7]) — carminibus suis inseruerunt[8]). Quae ratio quo facilius appareat, Archilochi, Simonidis Amorgini, Mimnermi, Solonis, Theognidis, Phocylidis, Hipponactis sententias eas, quae huc referendae sunt, singularum domus partium ratione habita, et hominum et rei familiaris, ut ea divisione utar, quam statuit Aristoteles Pol. 1252ª 17 sq., 1252ᵇ 10 sq., brevi in conspectu proponam.

Ac primum quidem ad mariti et uxoris societatem naturalem quod attinet, non solum quo tempore matrimonium ineundum sit (Sol. fr. 27, 9)[9]), sed etiam quid potissimum in eligenda uxore sit spectandum, discimus (Theogn. v. 457, 581 sq.); tum rei domesticae administrationem iustitia, quippe qua servata universa hominum societas contineatur[10]), temperantia et moderatione[11]), pietate erga deos et parentes[12]), studio laboris[13]), virtutibus marito aeque atque uxori exercendis niti unanimo fere omnium consensu confirmatur. Uxoris deinde officia atque munera quanti sint momenti in dispensanda re familiari, ex eo intellegitur, quod industria matris familias bonae, qua nullum a deis maius beneficium in maritum conferri possit (Theog. v. 1225), cum apium sedulitate comparata eximiis laudibus effertur[14]). Rerum denique earum, quae necessariae sint ad rem familiarem et sustentandam et augendam, nullam agro, utpote quae potissima eius pars sit, utiliorem esse Phocyli-

---

7) Vide Schneidewin, delect. poët. eleg. Graec. p. 48, Bernhardy, hist. litt. Gr. II. 1, 471 (ed. 3).

8) Conf. Vogel. l. c. p. 12—14.

9) Numeri sunt fragm. et vers. Bergkii poët. lyr. Graec. edit. quartae.

10) Mimn. fr. 7; Sol. fr. 4, 7 sq., 31 sq. fr. 18, 7, Theogn. v. 145 sq., 197 sq., 793 sq. (conf. Hes. op. 358, 361 sq.), Phocyl. fr. 17.

11) Theogn. v. 219, 220; 335 sq., 693, 694, 920 sq., 1137 sq., 1155 sq., Phocyl. fr. 12.

12) Theogn. v. 131, 145 sq., 171, 821 — componas cum hoc versu Hom. Iliad. IV, 478, XVII, 302 et Hes. op. 185 —, 1211 sq.

13) Archil. fr. 15.

14) Simonid. Amorg. fr. 6, fr. 7,83, quocum conf. Hesiod. op. 373 sq. et 702 sq., Phocyl. fr. 3, Hippon. fr. 72.

des[15]) auctor est, quam sententiam quae respiciatur dignam esse puto, quoniam cum ratione Xenophontea[16]) prorsus congrua est.

Sed pauca exempla satis est attulisse, quibus, ad quos fontes philosophorum principes ipsi in arte oeconomica versati saepissime redierint, demonstretur; plura enim huius praefationis terminos longe excedunt[17]).

Transitu igitur a primis apud Hesiodum artis oeconomicae vestigiis ad posteriorum temporum magis philosophicam demonstrationem significato nunciam, quantum lucri huic arti sophistarum studia tulerint, videamus, quos ad aetatis suae disciplinam, mores, ingenium immutanda maximam vim habuisse res est certissima[18]). Qui eloquentiae et reipublicae administrandae magistri, cum id ante omnia agerent, ut discipulos, quos ad sapientiae suae thesauros admitterent, ad vitam prudentius agendam excitarent earumque rerum peritos redderent, quarum cognitione, qui cum in publica tum in domestica re augenda versatus fieri studeat (Plat. Gorgias 520 E), *τῆς ἀνθρωπίνης* videlicet *ἀρετῆς καὶ πολιτικῆς* (Plat. apol. 20 B), nullo modo carere possit, facere non potuerunt, quin ad artis oeconomicae rationes, cum domus quasi civitas minor sit intra maiorem, penitus pernoscendas tota mente intentionem dirigerent[19]).

Iam vero quae ad sophistarum studia oeconomica revo-

---

[15]) fr. 7.

[16]) Oec. V, 1 sq., VI, 8 sq.

[17]) Quod sententiae septem eorum, qui honorifico aequalium testimonio sapientes vocitati sunt, vulgi ore tritae (conf. Orelli. opusc. Graec. vet. sent. et moral. I. p. 188 sq., Mullach. fragm. phil. Graec. I. p. 212 sq.) silentio praeteritae sunt, consulto factum est, cum a re nobis proposita admodum alienae mihi videantur esse. Similis in Democriti fragmentis ratio est, a quo philosopho rem oeconomicam perquam breviter perstrictam esse ipse Vogelius l. c. p. 17 concedit.

[18]) Conf. Vogel l. c. p. 19—24.

[19]) Conf. Struempell, hist. philos. pract. p. 28, et Joël., der echte und der Xenophontische Socrates (Berolin. 1898) p. 818.

canda esse mihi videantur e veterum testimoniis petita, quae non ignoro quam sint pauca, proponam [20]).

Atque Protagoras quidem Abderita, sophistarum princeps, ut impugnaret Hippiae aemuli rationem, primus *πολιτικῆς τέχνης* teste Platone (Protag. 318 E) doctorem se professus est, cum mores se emendaturum easque artes se traditurum esse pro certo polliceretur, e quibus plurimum fructus ad vitae usum redundaret: *τὸ δὲ μάθημά ἐστιν*, ait, *εὐβουλία περί τε τῶν οἰκείων, ὅπως ἂν ἄριστα τὴν αὑτοῦ οἰκίαν διοικοῖ, καὶ περὶ τῶν τῆς πόλεως, ὅπως τὰ τῆς πόλεως δυνατώτατος ἂν εἴη καὶ πράττειν καὶ λέγειν.*

Cui officio ut satisfaciat, cum alii in aliis studiis versentur, iustitiae inter omnes communitatem esse vult, quam generi humano universo Iovis ipsius iussu a Mercurio allatam esse profitetur (Protag. 322 C.), eos, qui omnis pudoris et iustitiae expertes sint, tamquam pestem civitatis morte multandos esse censens; quae virtus quanti momenti sit in re domestica administranda, ipse Xenophon Oec. IX, 13, XI, 22 testis est.

Sed fragmenta [21]) librorum a Protagora conscriptorum tam pauca tamque levidensia sunt, ut qualia eius fuerint placita oeconomica, incompertum habeamus.

Neque dissimilem Gorgiae Leontini, philosophi et artis rhetoricae et reipublicae gerendae scientissimi, de arte oeconomica fuisse sententiam ex eis apparet, quae idem Plato hunc philosophum docentem facit, cum dicit (Men. 71 E.) nihil earum rerum, quas in viris inesse oporteat, ei deesse debere, qui idoneus fieri velit *τὰ τῆς πόλεως πράττειν καὶ* (*πράττων*) *τοὺς μὲν*

[20]) Dictis sophistarum et fragmentis a Mullachio fr. phil. Gr. vol. II. p. 130—146 collectis subiungam, quae e dialogis Platonis, cuius testis Mullachius minus quam par est rationem habuit, subiungenda mihi videntur, quamvis saepe difficile sit sophistarum verba a Platonis facetiis, quibus illa perstrinxit, distinguere.

[21]) E titulorum, quos Laertius Diogenes IX, 55 servavit, indice quadamtenus conicere licet ad Protagorae oeconomica studia referendas esse has fere commentationes: *περὶ μαθημάτων, περὶ ἀρετῶν, περὶ πολιτείας, περὶ τῶν οὐκ ὀρθῶς τοῖς ἀνθρώποις πραττομένων, προστακτικός;* certi quicquam de hac re vix statuere licet.

φίλους εὖ ποιεῖν, τοὺς δ' ἐχθροὺς κακῶς[22]); ad uxoris autem condicionem quod attinet, quam honorificis verbis prosequitur, virtutem eius in administranda domo cerni ei placet: *δεῖ αὐτὴν τὴν οἰκίαν εὖ οἰκεῖν, σώζουσάν τε τὰ ἔνδον καὶ κατήκοον οὖσαν τοῦ ἀνδρός*[23]); denique afferre iuvat venustam eius de mulieribus sententiam, quarum non formam sed famam vult multis esse notam, a Plutarcho mulier. virtut. (init.) (vol. II p. 198 ed. Bernardakis) servatam.

Neque alieno tempore Prodici Cei, Protagorae auditoris, mihi in mentem venit, quem inter sophistas unum omnium maxime moralem philosophiam professum esse constat. Cuius philosophi, quem agriculturae laudatorem exstitisse probe scimus (Ps.-Plat. Axioch. 368 C.), quamquam aetatem non tulerunt scripta, tamen artem oeconomicam ab eo non alienam fuisse haud scio an colligas cum ex reip. Plat. loco (600 C.), e quo rei domesticae administrationem Prodicum aeque atque Protagoram non sine gloria docuisse liquide apparet, tum e copiosa illa de divitiarum usu disputatione in Ps.-Platonis Eryxia 397 E; quo loco postquam rem familiarem in bonorum numerum referendam esse negavit, nisi quis recte ea uti didicerit, probis et honestis hominibus eisque, qui sciant, quem ad finem divitiae adhibendae sint, opes emolumento esse affirmat, improbis et qua ratione eis utendum sit ignorantibus detrimento. Cuius sententiae mentionem facere ideo iuvat, quoniam Xenophontem, quem e scholis philosophi Cei multum utilitatis percepisse constat, eam sibi vindicare (Oec. I, 10 sq.) infra videbimus[24]). Ceteroquin celeberrimae illius de Hercule prope bivium sedente fabulae argumentum, quam Xenophon e Prodici libro, qui „*ὧραι*“ inscribitur, petitam Memorabilibus (lib. II c. 1 § 21—34) inseruit, cuius fictionis apud Graecos fundus locus Hesiodi op. 284—290 videtur fuisse, ab artis

---

[22]) Conf. etiam ibid. 91 A; in eandem fere sententiam Xenoph. Oec. XI, 10.

[23]) Similia exhibet Xenoph. Oec. VII, 8, 25; IX, 1 sq.

[24]) Vide huius dissert. p. 14 sq.

oeconomicae ratione non alienum esse non est, quod hoc loco uberius demonstretur[25]).

Sed quamquam Platonis ipsius testimonio (l. c.) comprobatur sophistarum antistites, Protagoram praeter ceteros et Prodicum, plurimum auctoritatis ad animos adulescentium doctrina civili excolendos habuisse, tamen cum omnia se nosse ac de qualicunque argumento se disserere posse artis sophisticae doctores confiderent[26]), singulas huius disciplinae partes nisi levissime non tractatas ab eis esse qui iudicet, a vero non ita abhorrere mihi videtur.

Vestigia sophistarum quodammodo Socrates persecutus esse existimandus est, quem dialecticae arti perficiendae summam manum imposuisse nemo est, qui nesciat. Quid de arte oeconomica iudicaverit vir sapientissimus, quem primum in urbibus collocavisse philosophiam et in domos etiam introduxisse ait Cicero (Tusc. disp. V, 4, 10), quamquam Xenophontem sua nonnunquam Socrati imputavisse maioremque partem ex Antisthenis Cynici doctrina pendere Joëlius l. c. p. 420, 488, argumentis gravibus allatis evincere studuit[27]), tamen quodammodo ex eis cognoscere licet, quae Xenophon cum in Memorabilibus[28]) tum in Oeconomico eum disputantem facit. Quatenus verba Socrati a Xenophonte tributa Socratis veri habenda sint, Hildebrandius in commentatione, quae inscribitur: „Xenophontis et Aristotelis de oeconomia publica doctrinae illustrantur“ (Marburg. 1845) part. I p. 25 ita diiudicat, ut in libris post Memorabilia conscriptis Xenophontem suam sententiam magistro pronuntiandam tribuisse contendat[29]). Quae cum ita sint, ne eadem repetam, in aliud tempus hanc rem reservo[30]). Id unum quidem

---

[25]) Conf. ea potissimum Virtutis verba, quae ad laborem studiumque spectant (§ 28) cum Xenoph. Oec. VII, 26, IX, 14 sq., XI, 8 sq., XII, 18, XX, 4, 22.

[26]) Conf. Plat. Gorg. 447 C., Hipp. min. 368 B.

[27]) Non idem de hac re Vogelius l. c. p. 85 sq. sentit.

[28]) Conf. locos a Vogelio l. c. p. 25 sq. allatos.

[29]) Conf. etiam R. Hirzel., der dialog (Lips. 1895) p. 147 sq., et Vogel. l. c. p. 24 sq.

[30]) Conf. huius dissert. p. 14.

hoc loco satis habeo commemoravisse, quod ad mulieris condicionem fortunamque attinet, Socratem et naturam eius et virtutem, sicut Plato refert (Tim. 18 C.), eandem esse atque viri sine ulla morum differentia uxoremque probam *εἰς τὸ συναύξειν τοὺς οἴκους* non minoris utilitatis esse quam virum censuisse (Menon. 72)[31]).

Apud Socraticos autem quanti ponderis rerum domesticarum cura fuerit cum aliorum tum Antisthenis, Cynicae sectae conditoris, *τῶν λεγομένων Σωκρατικῶν κορυφαιοτάτου* (Laert. Diog. II, 47) exemplo evidenter confirmatur.

Inter scripta philosophi Socratis praeceptoris vestigia fideliter persecuti, quorum numerum permagnum fuisse e Laertii Diog. indice (VI, 15 sq.) apparet, libellus ferebatur, cui erat titulus *οἰκονομικός*[32]). Quod argumentum quemadmodum tractaverit Antisthenes, cum neque libellus ille aetatem tulerit neque fragmenta exstent ulla, coniectura tantum quadamtenus assequi possumus.

Placita autem Antisthenis ad moralem philosophiam in universum spectantia, quae Xenophon, quem consuetudine eius delectatum esse signo est expressa in Memorabilibus atque in Convivio imago, Laertius Diogenes, Stobaeus, alii servaverunt[33]), quicunque cum praeceptis a Socrate traditis subtilius comparaverit[34]), facile sibi persuadebit Anthisthenem iure in numero discipulorum eius haberi fidelissimorum, cum et familiaritatem eius summo studio amplexus sit et ad exemplum eius ita se

[31]) Conf. etiam Xenoph. Oecon. III, 15, Conviv. II. 9, 10, Aristot. Polit. 1260a 21 sq.

[32]) Conf. Joël. l. c. p. 389; quomodo unus idemque liber 'de victoria' duplici inscriptione appellari potuerit 'Oeconomicus', id quod Muellerust de Antisthenis Cynici vita et scriptis (Dresd. 1860) p. 48 se non videre suo iure confessus est, neque Nordenius (Fleckeisen. annal. supplem. XIX, p. 368 not. 1) verbis, quae leguntur initio Oeconomici q. d. Ps.-Aristot. alterius (1345b 12 sq.), citatis neque Vogelius l. c. p. 37 not. 2 mihi videntur comprobavisse; equidem cum Winkelmanno, Antisth. fragm. (Turici 1842) p. 12, et Muellero l. c. verba *περὶ νίκης* corrupta et in vocabulo *νίκης* mendum latere suspicor.

[33]) Vide Mullach. l. c. vol II p. 274 sq.

[34]) Comparare iuvat verba Laert. Diogen. VI, 11 cum Xenoph. Mem. II, 2, 4; vide etiam Zeller. hist. phil. Graec. II. 1, (3), 189.

finxerit, ut a moribus eius, ne eo quidem iudicio, quod fecit de matrimonio, excepto[35]), non longe recesserit. Quid? quod virtutes eae, quae Socràticorum quidem iudicio cardinales existimantur et oeconomo bono Xenophonte teste a praeceptore iterum atque iterum commendantur[36]), ab Antisthene quoque quae expetantur dignae habentur, id quod e conspectu voluminum a Laertio Diog. enarratorum facile perspicitur. Quod sectae Cynicae conditor eandem viri et mulieris virtutem esse ait (Laert. Diog. VI, 12), sententia eius comparari potest cum Socratis iudicio, quod Xenophon memoriae prodit Oec. III, 15; eiusdemque doctrinae vestigia facile deprehendet, qui id, quod Antisthenes de divitiarum natura atque usu iudicat, externas res contemnendas verasque divitias in animo quaerendas esse ratus (Xenoph. Conviv. III, 8, IV, 34 sq.), cum verbis ipsius Socratis ab eodem auctore initio Oeconomici (c. I. 7 sq., II, 2 sq.) relatis contulerit. Quamquam igitur ea est fragmentorum condicio, ut quale fuerit Antisthenis de oeconomia volumen pro certo affirmare non possimus[37]), tamen ex eis, quae de ratione Antisthenica explicavi, suspicari licet eum Socratis vestigia secutum simili atque illum modo arti oeconomicae tractandae atque illustrandae operam dedisse.

Neque vero quisquam inter Socraticae disciplinae alumnos de arte oeconomica vita aeque ac litteris persequenda melius meruisse putandus est quam Xenophon.

Qui utrum cogitando assecutus sit, quanta quamque divina Socratis fuerit sapientia necne[38]), diiudicare ad nos nihil attinet, cum non de philosophicis sed de oeconomicis eius studiis disputare nobis in animo sit. Quorum studiorum quales inde a primordiis artis sint progressus, quisquis incorrupto iudicio secum reputaverit, Xenophonti palmam dare non dubitabit, Oeconomici auctori, libri antiquissimi oratione pedestri

---

[35]) Conf. Mem. III, 11, 17, Conviv. IV, 44.

[36]) Vide huius dissert. p. 16 sq.

[37]) Quamobrem etiam ea, quae Joëlius l. c. p. 889 coniecit, in mera coniectura posita esse nobis persuasum est.

[38]) Conf. de hac re Zeller l. c. II. 1, 200 sq. et Richter, studia Xenophont. (Fleckeis. annal. suppl. XIX (1893) p. 152.

de hac arte conscripti[39]) neque indigni, de quo accuratius disseramus, quippe quod quasi totius inquisitionis fundamentum sit.

Ac primum quidem, quod ad formam dialogi attinet, Oeconomicus quasi genus quoddam catechismi, ut Hildebrandii (l. c. p. 6) verbis utar, existimandum est sive, quae est Struempellii sententia (l. c. p. 468), ars, qua praecepta oeconomica a scriptore rerum intelligentissimo traduntur; quibus in enarrandis eum ordinem auctor libelli sequitur, ut prooemium generale (c 1—6), quo colloquii Socratis cum Critobulo instituti[40]) id, quod explicandum auctor sibi proposuit argumentum, breviter tangentis et in universum illustrantis mentio fit, disputatio specialis Ischomacho colloquii duce excipiat in duas partes divisa, quarum altera (c. 7—14) de re domestica, altera (c. 15—21) de re rustica uberrime agitur.

---

[39]) Conf. Susemihl. hist. litt. Graec. I, 832; de aetate libelli artius circumscribenda desperandum esse cum suo iure Roquettius, de Xenoph. vita (Regimont. Boruss. 1884) p. 67, censeat, facere non possumus, quin Joëlio (l. c. p. 21 sq.) idem fere cum Richtero (l. c. p. 149 sq.) sentienti adstipulemur, qui accuratissimo rerum, quae quidem aliquo loco et numero esse videantur, calculo subducto satis multis annis post auctoris ex Asia reditum (a. 894) Anabasi atque Commentariis in lucem editis Oeconomicum scriptum esse exputavit annumque vitae Xenophontis ultimum, quem non ante a. 855 statuendum esse Kruegerus, quaestiones criticae de Xenoph. vita (Halis Sax. 1822) p. 80, quaerendo eruit, unicum terminum esse contendit, ante quem Oeconomicus confectus sit; de Dittenbergeri argumentis e genere dicendi petitis (Herm. vol. XVI, 321 sq.) quid sit iudicandum, Schenkelius ann. Bursian. vol. 54 (1888) p. 5 et Hirzelius, der dialog p. 147 not. 1, probe intellexisse mihi videntur. Sed haec omnia, cum adnotatiuncula aliqua comprehendi non possint, nunc omitto.

[40]) Quod Xenophon colloquio illi se interfuisse dicat, parvam ei apud peritos rerum iudices fidem haberi (vide Joël. l. c. q. 86 et Richter. l. c. p. 127 sq.) vanamque Christiani opinionem esse, qui disputationem a Socrate revera institutam multis post annis a Xenophonte aetate iam provectiore memoriter litteris traditam esse sumit (translat. oper. Xenoph. [Stuttg. 1828] fasc. 9 praef. p. 1044 sq.), non habeo, cur uberius explanem, quoniam quibus persuaderi potest Hirzelius l. c. p. 150 persuasisse mihi videtur. Equidem et huic et aliis eiusmodi argumentis (vide Breitenbach adn. ad Xenoph. Oecon. II, 7) fidem prorsus abnegandam esse censeo, cum rem inexplicabilem esse arbitrer.

Argumentum libelli ipsum quale sit, cum ab editoribus, velut a Schneidero (Lips. 1805) et a Breitenbachio (Gothae 1841) in summariis capitibus singulis praemissis accurate ac prolixe expositum sit, equidem, ne ab aliis centies dicta et repetita recoquam, rem ita instituam, ut rerum ab auctore copiose enarratarum ordine neglecto materiam ipsam ea, quae in natura rei posita est, ratione explicem et pro virium mearum modulo illustrem[41]).

Ac primum quidem quod attinet ad oeconomiae notionem atque vim, Xenophon Socratis, quem obstetricia illa ratione utentem inducit, vestigia persecutus[42]) artem eam esse distincte docet **οἴκου** i. e. rei familiaris bene administrandae et augendae cum propriae tum alienae (Oec. I, 4, 5), **οἴκου** deinde notione contineri censet quidquid quis possideat bonorum[43]); quo nomine negat quicquam dignum esse, quo quis sic uti non possit, ut fructus inde percipiat (I, 7 sq. II, 11, VI, 4 sq.). Eiusdemque Socratis vestigiis Xenophon insistit, cum plane et eleganter eum exponentem facit, qua ratione maritus uxorem, quid sit bonum honestumve, instituere debeat. Atque cum hac magistri sententia ea optime congruunt, quae Xenophon cum de matrimonio tum de uxoris condicione Ischomachi, viri **καλοῦ κἀγαθοῦ** et patris familias prudentissimi, verbis usus explicat. Cuius secundum praecepta, quae imaginem perfectam quasi quandam matrimonii artissimo concordiae vinculo coniuncti exprimunt, uxor comes fida mariti esse debet, cum **συνεργὸς εἰς τὸ συναύξειν τοὺς οἴκους** tum **κοινωνὸς βέλτιστος οἴκου καὶ τέκνων** (VII, 11, 30, 42), quacum omnia communicanda esse censeat; maritus cum extra domum versetur, ut rei familiari augendae operam det, uxor intra domus parietes apium reginae instar in civitate minore familiae praesit necesse esse (VII, 3 sq., 22 sq., 30 sq.) ad optima et

---

[41]) Commode a Vogelio l. c. p. 68, 69 argumentum digestum est.

[42]) Quatenus Socrates suam ipsius sententiam pronuntiet, quatenus eam, quam Xenophon ei imputaverit, quamvis interdum non liqueat, tamen, ut alia omittam, quae de sellulariis illis quae vocantur artibus fiunt verba (IV, 2), personati, non veri Socratis esse affirmare non dubito.

[43]) Bene vertit Boeckhius oec. civ. Athen. I (3) 143 'das gesamtvermögen'.

honestissima quaeque eam informans. Quanti vero uxoris industria ab eo aestimetur, ex eo colligere possis, quod paris momenti atque mariti negotia eius esse affirmare non dubitat (III, 15). Ac profecto omnium undique laudem Xenophontem sibi peperisse existimo, Socraticae doctrinae interpretem fidelissimum, quod indole atque ratione mulieris accurate perspecta eas intra domum partes ei tribuit, quas natura ipsa ei videtur tribuisse; quae indoles quam non intellecta sit a Platone, nemo nisi plane in his rebus hospes negabit.

Sequitur, ut examinemus, quid de servorum usu atque condicione libelli nostri auctor iudicet; quo in argumento Xenophontis sententiam a praeceptoris doctrina valde distare neminem potest fugere. Socratem enim nihil interesse inter homines liberos et servos docuisse, quae sententia Cynicis quoque probata est, non ignoramus[44]). Contra Xenophon, communi illi Graecorum opinioni praeiudicatae prorsus addictus, tantum abest, ut nullum discrimen faciendum esse censeat, ut disertissime planissimeque servos quasi inferioris ordinis animantia ab hominibus internoscat. Quid? quod homines dicto audientes fieri ratione et consilio ait, servos nisi disciplina ac severitate adhibita ad obsequium redigi non posse palam pronuntiat[45]). Neque vero desunt loci, quibus humanum atque mite auctoris ingenium a benigno praeceptoris animo non alienum esse manifestetur: ut enim aegrotantes servos diligenter curare iubet uxorem (c. VII, 37), ita, qua est benevolentia, quos spectatae fidei esse cognoverit, eodem loco se habiturum atque homines liberos (XIV, 8, 9) eosque beneficiis sibi conciliaturum esse profitetur, quos lucri studiosos cognoverit (XII, 6). Cui sententiae id quoque consentaneum est, quod eos, qui pro liberis hominibus habeantur, officium suum melius praestare existimat, quam qui vinculis perpetuis in officio contineantur (c. III, 4). Videmus igitur Xenophontis iudicium certum sibique constans non esse, cum satis multis locis Socratis sententiam ita pronuntiet, ut haud pauca tamquam furtim de suo admisceat.

[44]) Conf. Hildebrand. l. c. p. 26.

[45]) Oec. XIII, 9.

Quoniam igitur de hominibus quae ad rem pertinent exposuimus, iam, ut via ac ratione disputatio explicetur, de eis rebus, e quibus res familiaris constat, disseremus. Atque quae res in bonis numerandae sint, primo Oeconomici capite auctor docet sextoque (§ 4), quo sententia verbis non multum mutatis eadem occurrit. Nullam autem rem sibi, utpote agricolae rei rusticae studiosissimo, magis arridere quam fundum agrumque ingenue profitetur, quo prudenter ac sollerter colendo plurimum incrementi rem familiarem universam capere Xenophonti, qui sua Socrati imputavisse existimandus est (Oec. V, 1 sq.), persuasum est. De laudibus agriculturae, quam viro honesto atque ingenuo unice dignam esse non dubitat affirmare (c. VI, 8), quippe *τῶν ἄλλων τεχνῶν μητέρα καὶ τροφόν* (c. V, 17), cui illustrandae non exiguam libelli partem tribuit (c. XV—XXI), cum a re nobis proposita admodum sit alienum, plura verba facere supersedeo[46]).

Iam vero de placitis moralibus Oeconomico Xenophonteo insertis quae ex re nobis videantur esse adiciamus.

Atque primariam quidem virtutem Ischomachus philosophiae moralis lineamenta designans *σωφροσύνην* laudat, quippe qua optimus nuptiarum consensus efficiatur, cum proprium eius sit motus animi appetentis regere et sedare semperque adversantem libidini moderatam in omni re servare constantiam[47]); eaque bona et marito et uxori expetenda esse dicit, quae ex naturali quadam lege bona sint et recti sanique sensui quoquo modo conveniant[48]). Quae sententia cum ei stet, deos ante omnia colendos esse censet, quippe qui omnium rerum domini sint, cum deis omnia negotia, sine deorum auxilio nulla patri familias pio ac prudenti inauguranda esse existimans (c. V, 19 sq., c. XI, 8). Quo nomine cum nemo ei videatur dignus, quin *ἐπιμελείας* virtutem exercere noverit, virum aeque atque mulierem ad hanc virtutem iubet adspirare (c. VII, 26) difficilius esse ratus huic officio deesse

[46]) Conf. Vogel l. c. p. 62 sq.

[47]) Similitudinis causa conferre iuvat Eusebii fragm. apud Stobaeum flor. 74 (vol. III p. 58 ed. Meineke): *γάμου ἀρίστη ξυμφωνίη ἀμφοτέρους σωφροσύνην ἀσκέειν.*

[48]) Conf. Breitenbach praef. ed. p. III.

quam adesse (c. IX, 18). Qua virtute exercenda quid oeconomus probus consequi possit, ex eis Ischomachi verbis intellegi potest, quibus bonorum series ex illa provenientium enumeratur (c. XI, 8, c. IX, 14); deinde qua ratione virtutem *ἐπιμελείας* pater familias alios docere debeat, auctor exponit (c. XII, 11 sq.); denique tantum pretii virtuti illi tribuit, ut maioris momenti esse existimet curam ac diligentiam (*ἐπιμελεῖσθαι*) quam rei notitiam (*ἐπίστασθαι*)[49]). Neque minoris aestimatur ab auctore libelli ea virtus, cui nomen est *ἐγκράτεια*, Socrati Cynicisque aeque grata atque iucunda. Quam virtutem maxime necessariam in medio quasi positam esse inter maritum et uxorem Ischomachus vult ad certamen honestum atque nobile excitandum (c. VII, 27). Postremo ad eas, quae enumeratae sunt, virtutes *δικαιοσύνη* accedat necesse est (c. XIV, 4 sq.) a Xenophonte eximia laude ornata, cum iustitiam a *σωφροσύνη* non secernendam esse ei persuasum sit (c. VII, 15), quippe e qua viri et uxoris mutua concordia, famulorum erga dominos benevolentia, dominorum in famulos cura pendeat.

Quae cum ita sint, domino, ut familiam hanc artem doceat, suasisse non satis habet, sed qua ratione id fieri possit, accurate ipse exponit (c. XIV, 4). Quibus virtutibus qui imbutus sit, ad rem familiarem administrandam augendamque Xenophonti aptus atque idoneus videtur esse, cum non qui divitiis et externis rebus abundet, utpote fortunae obnoxiis ac fluxis, *εὐδαιμονίας* particeps fieri possit, sed qui turpibus illis animi vitiis vacet, qualia sint inertia, mollities, incuria (c. I, 19), quae dominae maxime dirae, ut Antisthenis quoque fert opinio[50]), a persona oeconomi boni prorsus absint necesse sit. Possum commemorare eas virtutes, quae e primariis illis necessario sequuntur, non minus illas quidem expetendas, velut studium ordinis in omnibus rebus adhibendi (c. VIII, 3 sq.)[51]), obsequentiam, modestiam, victus atque ornatus simplicitatem (c. X, 2), *ἀκριβείας* virtutem (c. VIII, 17), sed video ea ipsa, quae

[49]) Conf. etiam c. XX, 21.
[50]) Conf. Joël l. c. p. 860, 499, Vogel l. c. p. 48 not. 2.
[51]) Commode Goettlingius hunc locum in comparationem affert Hes. op. v. 407.

exposui, longiora esse satisque habeo, ut finem faciam enarrationis, ad ipsa Oeconomici auctoris verba delegasse, quibus, quid virtutibus illis efficiatur, haud ineleganter complexus est: *τὰ καλὰ κἀγαθὰ διὰ τὰς ἀρετὰς εἰς τὸν βίον τοῖς ἀνθρώποις ἐπαύξεται* (c. VII, 43).

Atque de Oeconomico quidem Xenophonteo haec habui, quae dicerem. Ut concedam auctorem argumenta, de quibus disputavit, ethica populari modo magis extenuasse verbis quam explanavisse materiamque, quam tractandam sibi proposuit, ad artem et ad leges certas non revocavisse, tamen iucundissimam esse simplicem illam sine ulla exornatione enarrandi rationem argumentique varietatem candide neque ineleganter expositi ipsa ex *ἀταξίᾳ* plurimum oblectamenti atque fructus lectori afferentem profiteri non dubito [52]).

Ut autem Socratis sectatores ei, quos commemoravimus, artem oeconomicam praeceptoris animo gratam et acceptam a se alienam non putaverunt, ita is, quem divini Socratis ingenii magnitudinem, quae erat ipsius mentis natura atque vis, subtilissime pernovisse constat, minime eam dignam existimavit, cui operam navaret; frustraque in voluminibus Platonicis eam philosophiae moralis partem requirimus, quae praeceptis a Xenophonte in Oeconomico traditis respondeat [53]).

Quae cum ita sint, quo iure Goettlingius [54]) philosophiam practicam summatim Platonem comprehendisse uno volumine de Civitate conscripto eoque officia hominis, civis et patris

---

[52]) De pretio atque dignitate libelli alii aliter iudicant; etenim ut Struempellius l. c. p. 506 sq. amplissimis verbis auctori laudem impertit, ita Linckius, ut alios omittam, in libro, qui inscribitur „Xenophons dialog *περὶ οἰκονομίας* in seiner ursprünglichen gestalt“ (Jenae 1879) argutius quam verius Oeconomicum fetum esse spurium, interpolatum, cuiusvis generis vitiis laborantem demonstrare studet; idemque in commentatione „de Xenophontis libris Socraticis“ inscripta, progr. Ien. 1890 p. 6, libellum ita comparatum esse iudicat, ut et initio et in fine appareat ad perfectum opus aliquid deesse. Propius ad veritatem Vogelius mihi videtur accedere, cuius iudicium modicum et temperatum (l. c. p. 67 sq.) non est cur improbemus.

[53]) Vide Struempell l. c. p. 482.

[54]) *Ἀριστοτέλους οἰκονομικός* praef. p. VI.

familias strenue persecutum esse censeat, me non videre fateor. Quid quod eis, quos solos civium nomine dignos esse arbitratur, re domestica atque privata, quippe quae pars oeconomiae maxime necessaria sit, interdicit (416 D, 464 B); quod rei domesticae administrationem curae atque sollicitudinis plurimum homini afferre (465 C) adulescentique, quominus ad altiora tendat, obstare expressis verbis asserit (498 A); quod agriculturam, qua Socrates eiusque vestigia persecutus Xenophon nullam artem esse honestiorem professi sunt, quasi macula aspersam ad homines tertii ordinis, ad peregrinos servosve delegat (415 C, 466 A)? Mulieris vero, cuius in domo officia et munera eiusdem atque viri momenti esse Socrates eiusque asseclae suo iure asseverant, indolem propriam et naturalem quam non perspexerit (conf. 451 C, 455 D sq.), quis est, quin intellegat[55]? Sed haec et talia ut pueris decantata praetereo.

Quae cum ita sint, eam philosophiae moralis partem, qua ars oeconomica continetur, Platonem, quae est Boeckhii oec. civ. Athen. I, 3 sententia, non promovisse luce clarius est, cum non ea, quae revera sunt, respexerit, sed a cogitatione exorsus, quem sibi finxit rerum humanarum ordinem, quaestionis fundamentum posuerit solique ingenio suo sublimi et ad altissima quaeque tendenti indulgens eam summae perfectionis imaginem, quam sua mente concepit, sectatus sit.

Venimus ad Xenocratem Chalcedonium, *τὸν γνησιώτατον Πλάτωνος τῶν ἀκροατῶν*; cuius philosophiae doctoris monumenta ingenii quamquam plurima fuisse Laertius Diogenes (IV, 11 sq.) testatur, tamen quae supersunt fragmenta[56]) adeo non integra sunt, ut vix lineamenta prima doctrinae Xenocrateae ex eis cognoscere possimus. In numero scriptorum, quorum pars satis magna ethicam disciplinam videtur complexa esse et ita quidem, ut vix ulla pars ab eo tractata non sit, cuius rei

[55]) Satis habeo delegasse ad ea, quae de hac re exposuerunt Struempellius l. c. p. 411 sq., Zellerus l. c. II. 1, 758, C. Steinhart translat. op. Platon. V praef. p. 195 sq.

[56]) Vide praeter Mullach, fr. phil. Gr. III, 114 sq. R. Heinze, Xenocrates, darstellung der lehre und sammlung der fragmente (Lips. 1892) p. 157 sq.

Laertii Diogenis index testimonio est, libellus invenitur, qui inscribitur „οἰκονομικός“.

Cuius voluminis cum fragmentum exstet nullum, argumentorum specie credibilium ope destitutis ea nobis offusa est caligo, ut neque qualis condicio libelli fuerit neque qua ratione Chalcedonius sapientiae doctor materiam tractaverit, computando liceat eruere.

Ad oeconomica Xenocratis studia haud scio an revocare possis Procli ad Hesiodi op. et di. v. 376 (Goettl.) adnotationem, ex qua carminis illius initia philosophiae practicae continentis notitiam ab eo non alienam fuisse apparet (Heinze fr. 97); neque verisimile non est in Oeconomico Xenocratem ea exposuisse, quae Cicero de fin. IV, 7, 17 (Heinze fr. 79) de ratione Xenocratea refert, quibuscum componas Plutarchi verba de commun. notit. adv. Stoicos c. 22; VI, 311 ed. Bern. (Heinze fr. 94), insignem similitudinem cum argumentatione Aristotelica Pol. 1252ᵃ 24 sq. prae se ferentia. Deinde his consentanea sunt quae teste Porphyrio de abstin. IV, 22 (Heinze fr. 98) Xenocrates discipulos de pietate erga parentes docet: *γονεῖς τιμᾶν. δεῖ γὰρ τοὺς μὲν γονεῖς εὐεργέτας ἡμῶν γεγενημένους ἀντευποιεῖν ἐφ' ὅσον ἐνδέχεται.* Denique a re non esse mihi videtur ad eum Plutarchi[57]) locum delegare, quo expressis verbis affirmatur Xenocratem, licet corporis bona facilem quandam habere rationem censeat (Cic. l. c.), opes, quippe quod sit fundamentum oeconomiae, bonis adnumerare minimeque eas inutiles esse censere.

Quae cum ita sint, cum Laertii indice tum sententiarum singularum fragmentis memoriae proditis probabile fit Xenocratem, quamvis omni ope atque opera enisus sit, ut Platonis disciplinam quam fidelissime explicaret et illustraret, tamen magistri vestigia persecutum cum in aliarum rerum consideratione tum in contemplatione rei domesticae ulterius progressum esse[58]).

Iam vero Aristoteles, cuius ingenium prope omnia complectebatur et penitus explorata in rationalis doctrinae for-

[57]) adv. Stoicos c. 13; vol. VI, 300 ed. Bern. (Heinze fr. 92).

[58]) Conf. Mullach l. c. III, 111, Heinze l. c. praef. p. VI, Zeller l. c. II. 1, 868.

mam redigebat, de re domestica administranda quid iudicaverit, videamus[59]). Quem ad finem Politicorum liber primus adeundus est, quo ea, quae huc spectant, cum genuina philosophi Stagiritae doctrina congrua primis lineis designantur.

De familia autem deque re familiari Aristoteles haec fere tradit: postquam paucis, quid intersit inter rem publicam et domesticam administrandam, ea mente explicavit (1252ª 8 sq.), ut Cynicorum atque Xenophontis sententiam impugnet, qui publicam administrationem a privata non differre existimant nisi rerum amplitudine, quae rationes intercedant inter maritum et uxorem, quae inter servos et liberos homines, indagare aggreditur (1252ª 24 sq.), quippe e quibus societatibus prima oriatur domus. Quod autem rei domesticae administrationem cum monarchia comparandam esse ait (1255ᵇ sq.), haud difficulter, quas partes singulis familiae personis tributas esse velit, inde cognoscimus. Quamquam magno in errore versatur, qui Aristotelem eorum sententiae fuisse arbitretur, qui uxorem, quasi humanum quoddam mancipium, ad ancillae negotia destinatam esse existimant, tamen natura ipsa ex opinione eius aliquantum interesse inter virum atque uxorem neminem potest fugere; masculinum enim sexum, utpote superiorem, ad imperandum, femininum, utpote inferiorem, ad oboediendum natum esse contendit (1254ᵇ 39 sq., 1259ᵇ 1 sq.). Id quoque inter maritum et uxorem interesse ait, quod alterius sit opes parare, alterius paratas servare et custodire (1277ᵇ 24); nobilissimum autem patris familias officium ei videtur esse virtutem atque honestatem hominum liberorum curae sibi habere (1259ᵇ 20); quam curam maioris momenti existimandam esse cura *ἀψύχων κτήσεως* (1259ᵇ sq.) ei persuasum est. Atque aliter patrem familias uxori, aliter liberis imperare vult; illi enim *πολιτικῶς*, his *βασιλικῶς* praesit necesse esse (1259ᵇ 1 sq.). Sed paucis ea quaestio ab auctore absolvitur et in aliud tempus differtur, ita ut, quae vera sit philosophi de liberis educandis sententia, frustra quaeramus, quoniam quae extrema Politicorum parte (libris VII et VIII) (VI et V) de hoc argumento traduntur, ad oecono-

---

[59]) Conf. Vogel l. c. p. 74 sq.

miam propriam neutiquam videntur spectare. Subtilissime autem de servorum condicione agitur, quos medium inter *ἀνθρώπους* et *κτῆσιν* locum tenere, *ἔμψυχον* utpote *ὄργανον*, contendit (1253^{b} 28). Atque acerrime eorum sententiam Aristoteles impugnat, qui servitutem non natura constitutam, sed id, quod exstet inter homines liberos et servos discrimen, humano arbitrio factum legeque sancitum esse iudicent, quorum ex numero Cynicos esse probe scimus. Natura (*φύσει*) enim ex philosophi Stagiritae sententia servus is est, qui eis corporis viribus praeditus est, ut ad id, quod alter providerit, exsequendum valeat, neque minus, cuius vitae condicio ea est, ut vivere non possit nisi alieno arbitrio (1254^{b} 16 sq.). Omnino quicunque solis corporis viribus utantur, natura servi videntur facti esse idque servitutis genus non solum iustum, sed etiam servis ipsis utile esse Aristoteli persuasum est, insipientibus satius esse parere quam imperare existimanti. Quae cum ita sint, quae ratio inter servum et dominum intercedat, facile est intellectu: servus patris familias voluntati plane obnoxius sit necesse est, ita ut quasi re variisque supellectilis generibus dominus eo uti possit Quod nihilosecius, quo est animo miti atque humano, servum, utpote virtutis qualiscunque sit participem, cum lenitate et liberalitate tractandum esse censet praemiumque virtutis libertatem pro ingenii atque rationis indole servo de familia bene merito proponi vult, philosophus Stagirita ipse nequaquam secum dissentit, quippe qui neminem servituti natum esse iudicet, nisi qui „eo usque rationis sit particeps“, ut ipsius Aristotelis verbis (1254^{b} 20) utar, „quoad eam sentiat quidem, sed ipse non habeat“. Quam definitionem qui iudicio exacto examinaverit, non vereor, ne Aristotelem, ceteroquin in sententia sua firmissimum, hac in re secum non congruere existimet. Ceterum quae sit vera eius sententia, ut alia omittam, ex ultima philosophi ipsius voluntate (Laert. Diog. V, 11 sq.) facile apparet[60].

Iam vero eis, quae de servis disputavimus, quae de facultatibus sive opibus (*κτήσει*) dicenda sint addere lubet.

Quae res prolixiorem argumentationem propterea philosopho

---

[60]) Vide Zeller l. c. II. 2, (3) 692 not. 6.

nostro exigere videtur, quia de notione artis κτητικῆς alios aliter iudicare probe novit.

Summa autem disputationis, ut ea, quae satis verbose de hac re exponuntur, paucis complectar, haec mihi videtur esse. Ut κτητικῆς artis id genus, quod naturae conveniat, in eis dumtaxat opibus comparandis versans, quibus oeconomo ad vitae usum opus sit, oeconomiae partem habendum et ab omni parte honestum atque liberale existimandum esse Aristoteles censet[61]), ita quod δι' ἐμπειρίας ortum sit aeque atque καπηλικὴν (Pol. 1258^b 2 sq.), utpote qui quaestus illiberalis sit, ab arte oeconomica alienum proculque ab ea abhorrere persuasum habet.

Quoniam igitur quid philosophus Stagirita de re oeconomica iudicaverit et perspicua ac dilucida oratione ipse expresserit, nobiscum reputavimus, ne dirimamus, quae iuxta composita in exemplaribus nostris fere leguntur[62]), quae condicio sit trium illorum librorum ad oeconomiam spectantium, qui Aristotelis nomine perperam feruntur, iudicio exacto et diligenti examinabimus.

Qua in re quamquam in variarum quaestionum fluctus me delabi non ignoro, tamen quae mea sit sententia, profiteri non dubito: ad unum omnes a solida et exquisita Aristotelis doctrina alieniores libelli illi mihi videntur esse, quam ut digni iudicentur, qui philosophorum principi tribuantur[63]).

Quae ratio quo planius cognosci possit, de argumento libri primi, quem integrum totumque servatum esse censeo, ut ordine rem expediam, quae scitu digna esse videantur, exponam[64]).

---

[61]) In eandem sententiam Xenoph. Oec. II, 18 disputat.

[62]) Temporis ordo ut hoc loco servaretur fieri non potuit.

[63]) Adde, quod Aristoteles, quae est celeberrimae sectae Peripateticae principis ratio, cum Xenophonte quasi certamen quoddam inire et coloni Scilluntii librum ad verbum fere transcribere omnino aspernatus est, cuius opera inferiora videtur duxisse, quam ut eorum mentionem faceret aut respectum haberet (vide Schlosser, praefat. translat. Polit. Aristot. vol. III, 62 not. 61, Joël l. c. p. 204, Richter l. c. p. 152).

[64]) Ad controversiam quod attinet inter homines eruditos de libelli auctore, philosopho aliquo Peripateticae doctrinae initiato, eiusque aetate

Atque in prooemio quidem quid intersit inter administrationem rei domesticae et publicae seu civilis postquam auctor exposuit, cum e domibus constet civitas, civili ratione *οἰκονομικήν* aetate priorem existimandam esse censet, cuius artis notionem ut definiat, ab enumeratione earum partium orditur, quibus *οἰκία* constat.

Ante omnia autem patri familias uxore opus esse et *οἴκῳ* sive *κτήσει* (facultatibus) disertis verbis docet[65]), cum haec (*κτῆσις*) victum praebeat, illius in re domestica administranda industria maximi momenti sit. Atque rei familiaris ea cura prima ei videtur esse, quae ponatur in agricultura, quia et iustitiae magistra hominibus existat et naturae maxime conveniens sit, quippe qua corpora firmentur et ad quodvis laborum genus sustinendum fiant idonea. Secundae partes artibus eis deferuntur, quae e terra proferunt aliquid, qualis est metallorum ars et si qua alia eiusmodi est.

Videamus nunciam, ut ordinem teneamus, quae sit auctoris de condicione atque fortuna uxoris sententia. Atque matrimonium quidem natura ipsa eo consilio institutum esse ait, ut non solum genus humanum propagetur, sed etiam maritus et uxor alternis vicibus se iuvent iuvandoque vitam beatam efficiant. Quae communio maritalis quam sit consentanea naturae legibus, vel inde intellegi posse, quod suae utrique parti facultates diversae non eaedem tributae sint; etenim alterum sexum robustiorem natura factum esse, ut alteri auxilietur, alterum imbecilliorem, ut ad timiditatem pronus opibus paratis provideat; alteri ea, quae opus sint, comparanda domumque conferenda, alteri domi parata custodienda esse censet. Neque

---

agitatam, cum eo brevioribus verbis disputari possit, quo subtilius haec omnia iam demonstrata sunt, satis habeo delegasse ad Schlosser l. c. 215 sq., Goettling, *Ἀριστοτέλους οἰκονομικός* praef. p. XVI, Schoemann, opusc. acad. III, 209 sq., Spengel, nunt. litt. Monacens. (1839) n. 225, L. Schmidt l. c. II, 465, Zeller, l. c. II 2, 151 not. 4, 944, Lincke, Xenophons dialog *περὶ οἰκονομίας* in seiner ursprünglichen gestalt p. 94 sq., Susemihl, Aristotelis quae feruntur Oeconomica praef. XX, Joël l. c. p. 204, Richter l. c. p. 152, Vogel l. c. p. 78 sq.

[65]) Conf. Xenoph. Oec. I, 7, VI, 4: *ἡμῖν ἐδόκει οἶκος ἀνδρὸς εἶναι ὅπερ κτῆσις.*

minorem in ea ratione exstare differentiam, quae inter parentes et liberos intercedat (1344ª 6 sq.); cum enim procreandi munus patri et matri commune sit, *ὠφελείας*[66]) i. e. operae a parentibus liberis dandae rationem diversam esse: matris proprium officium esse *θρέψαι*, patris *παιδεῦσαι*. Quo est animo in uxorem benevolo auctor maritum praemonet, ne offensioni sit uxori neve iniuriam ei inferat (1344ª 8 sq.). Iam vero cum id quoque curandum sit marito, ut uxor in fide et officio permaneat, ad usum congressumque quod attineat, ei praestandum esse censet, ne ille desideretur neve propter absentiam quieti locus non sit. Omnino mores indolemque coniugum concordare inter se necesse esse, quippe quod sit amoris firmissimum stabilissimumque fundamentum; denique ut a mundo muliebri aversus non est, ita lenocinium nimiumque ornatum theatri velut speciem efficientem minime idoneum esse auctor censet ad concentum coniugalem conflandum, omnia supervacanea, meretricia, ad pompam pertinentia fugienda atque repudianda esse ratus.

Neque indigna mihi videntur, in quibus illustrandis amplius versemur, praecepta ad servos pertinentia, utpote quae rei familiaris pars maxime necessaria sit (1344ª 23 sq.). Qua in re domino id ante omnia agendum est, ut servos bonos et ad quodlibet officium domesticum praestandum idoneos sibi comparet; quod hominum genus cum plerumque dividi soleat in villicos sive procuratores et in operarios, eos, qui meliore indole praediti esse videantur, ita educandos et instituendos esse, ut negotia liberaliora eis tradi possint. Quae deinceps qui libellum confecit de servis tractandis praecipit, ita comparata sunt, ut et benevolentiam animi et prudentiam prae se ferant, cum non solum dominum admoneat, ut consilio et ratione utatur, ne iniuriam servis inferat neve nimis indulgenter, quod attineat ad pensum, castigationem, alimenta se gerat, sed etiam libertatis praemium, quo libentius opus faciant, universis proponendum et liberorum procreandorum copiam eis faciendam dapesque et

---

[66]) Ad *ὠφελείας* vocabuli notionem activam illustrandam conferre iuvat Plut. adv. Stoicos c. 22 (VI, 811 B.): *ὠφελεῖσθαι ἀνθρώπους ὑπὸ γονέων*.

sacrificia solemnia remissionis causa in usum eorum instauranda esse censeat.

Quibus, quae de reliquis heri diligentis officiis adiunguntur, ad amussim respondent. Quae praecepta in calce libelli singularum rei rusticae partium ratione habita exemplis ab oeconomia Persarum, Lacedaemoniorum, Atheniensium petitis comprobantur et illustrantur, cum ad rei nobis propositae naturam non pertineant, enarrare supervacaneum esse puto.

Iam vero hoc loco oritur quaestio, utrum argumenti pars maior e scriniis veri Aristotelis an ex officina Xenophontis deprompta sit; doctorum enim hominum, qui periti rei, quae cadit in controversiam, iudices existimandi sunt, sententiae adeo non congruunt, ut alii, velut Schoemannus l. c. p. 229 pleraque, si quis *τὰς δυνάμεις* spectet, e Xenophonte summatim (*κεκεφαλαιωμένα*) translata esse censeant, alii, quo e numero praeter Goettlingium (praef. p. VII) Susemihlius imprimis est (praef. p. V not. 1), libelli auctorem, cum veri prae se ferat Aristotelis placita minimeque abhorreat ab huius doctrina ethica, Aristoteli plus quam Xenophonti debere contendant[67]). Quae mea sit sententia paucis exponam.

Locis eis, qui sub examen vocandi sunt, et perlustratis et comparatis[68]) rationis Xenophonteae vestigia leviter admodum impressa exstare nemo, qui animum vel paulo attentius adverterit mihi non concedet. Ut singula omittam, ubique copiosior et subtilior Xenophontis argumentatio ab auctore praecisa et in brevius contracta est omissis plerumque rationibus eis, quibus singulae sententiae ab illo comprobatae sunt. Quo fit, ut quae intercedat ratio arti oeconomicae cum philosophia morali, quippe quod quasi totius quaestionis fundamentum sit e Xenophontis quidem opinione, fere non perspici possit. Accedit,

---

[67]) Conf. etiam Vogel. l. c. p. 79.

[68]) In indice Susemihlii (l. c.) quamvis similitudines gravissimae a Goettlingio, Breitenbachio, Schoemanno iam pridem pleraeque deprehensae notentur, tamen cum nudis locorum numeris appositis paulo obscurius res significata sit, quo magis appareat, quae ratio inter eos, de quibus agitur, locos intercedat, quae ex re mihi videantur esse, retractare non dubito.

quod alii loci, velut 1344^b 4 sq., utpote locorum communium instar, in censum vocari omnino non possunt, alii quasi in proverbii usum abiisse aut proverbii colorem prae se ferre existimandi sunt, velut 1344^b 25[69]) et 1345^a 3 sq.[70]), ita ut, quo ex fonte hausti sint, diiudicari non iam possit.

Neque vero pauci reperiuntur loci, quibus ad evidentiam demonstrari possit Oeconomici Ps. Aristotel. primi auctorem omnino non id sibi proposuisse, ut Xenophontis exemplar imitaretur. Quod enim ait 1343^a 22 sq.: *ὥστε δέοι ἂν τὰ περὶ τὴν τῆς γυναικὸς ὁμιλίαν οἰκονομήσασθαι καλῶς,* si in animo ei fuisset hanc sententiam accuratius exsequi, nonne Ischomachi nobilissimum cum uxore colloquium (Oec. VII, 10 sq.) ante oculos ei positum erat? At frustra quaeris, quomodo libelli auctor id, quo spectat oratio, absolverit et ad finem adduxerit. Quibus si addiderimus, quod haud scio an non sit neglegendum, de cultu deorum aeque ac de sacrificiorum sanctitate adeo non congruere utriusque rationes, ut alter admodum diligentem religionis cultorem se praebeat (conf. Oec. V, 3, 20; VI, 1 sq.; VII, 7; IX, 6; XI, 8; XVII, 3), alter circa rem divinam prorsus neglegentem (conf. 1344^b 19), nonne ex eo, quem proposui, locorum conspectu librariolum, quamvis coloni Scilluntii libellum in manibus eum habuisse verisimile sit, minus argumentationis Xenophonteae rationem habuisse apertissime cognoscitur quam earum rerum, quae levioris, ut ita dicam, momenti et a re ipsa admodum alienae videantur esse?

Iam igitur videndum est, quatenus libelli auctor, quem dictionis Aristotelicae subtilitatem gravitatemque infeliciter et perverse imitatum esse manifestum est, ex dogmatis philosophi Stagiritae pendeat.

Quae quaestio cum ab hominibus doctis[71]) eo, quo opus

---

[69]) Quo de proverbio a Danaidum fabula ducto conf. Suidam s. v. *εἰς τετρημένον* et s. v. *ἀπληστία*; ceterum ad eos delego locos, quos collegit Eichlerus, die redebilder in den schriften Xenophons, progr. Dresd. 1894, p. 26 adn. 28.

[70]) Conf. Plutarch. de lib. educandis c. 13 (vol. I, 21 ed. Bern.): *το ῥηθέν· ὡς οὐδὲν οὕτω πιαίνει τὸν ἵππον ὡς βασιλέως ὀφθαλμός.*

[71]) Conf. Goettling l. c. praef. p. IX, Schoemann l. c. p. 209, Susemihl, ind. p. V.

est, iudicii acumine absoluta sit, ne acta agam, quae de discrimine civilis et domesticae administrationis, de partibus domus, de praeceptis coniugalibus, de servorum condicione, de *κτήματος* cura eodem fere modo ab utroque auctore exponuntur, singula accuratius percensere supersedeo. Pauca mihi liceat adiungere. Quod ad extremam opusculi partem attinet, qua sermo incidit in varia multipliciaque oeconomi officia, ex rei ipsius natura consequens est e Politicis Aristotelicis Oeconomici primi auctorem minus lucri facere potuisse, cum argumenti in libro illo tractati ratio a re domestica omnino sit aliena. Quae quamquam ita sunt, tamen in hac quoque parte non pauca insunt, quae cum sententiis ab ipso Aristotele explicatis non discrepent. Quod enim suis quemque rebus optime prospicere libelli auctor dicit (1344^{b} 35 sq.), idem etiam Politicorum auctori (1261^{b} 34) probari videmus. Quattuor autem illa *εἴδη οἰκονόμου* (1345^{a} 22), quamquam sententiarum ordo idem in Politicis non reperitur — non possunt in Politicis inveniri his similia —, tamen cogitatione quodammodo assequi possumus ex eis operis Aristotelici locis, quibus de oeconomiae natura atque vi conscriptum est[72]).

Quae cum ita sint, quamquam negari non potest accuratissimam Aristotelis explicationem ab auctore Oeconomici primi locis satis multis non solum praecisam et contractam, sed etiam discriminis, quod inter politicam artem et oeconomicam intercedit, ratione habita paululum variatam esse, tamen quantum attinet ad sententias maxime ratas, quae primo Oeconomico continentur, a philosophi Stagiritae placitis non aliena esse mihi persuasum est.

Iam vero de libello altero, qui in libris manuscriptis ut Aristotelis Oeconomicus secundus fere fertur, quid iudicandum sit paucis me absoluturum esse spero, quoniam iterum atque saepius a viris doctis[73]), quale sit argumentum, qualis stilus, expositum sit; in promptu sunt omnia, ita ut res disputatione egere

[72]) Vide Goettling, praef. edit. p. XI.

[73]) Niebuhr, opusc. hist. et phil. minora I p. 412—416, Spengel l. c. p. 125 sq., Susemihl l. c. p. IX sq., hist. litt. Graec. I, 149 not. 830, Goettling, praef. edit. p. XVII sq., Zeller l. c. II 2, 944 sq.

non videatur; eoque minus argumentatione subtiliore opus esse existimo, quo minus, quae hoc libro continentur, cum Oeconomico illo primo neutiquam cohaerentia, arti oeconomicae vicina et finitima sunt. Quid? quod ad notitiam eius rei, quae titulo indicatur, amplificandam argumentum eius adeo nihil confert, ut in enarratione exemplorum latissima lectoris animum defatigante versetur, quae nisi *χρηματιστικῆς* notioni illustrandae non inserviunt? Quae ars cum ab oeconomica plane sit aliena, id quod disertis verbis ipse Aristoteles Pol. 1259ª 3 sq. docet, nullo modo fieri potest, ut idem philosophus auctor huius libelli esse existimetur[74]); quamquam negare non audeam eum, qui opusculum consarcinavit, Oeconomici qui fertur primi aeque ac Politicorum notitiam satis accuratam habuisse, id quod cum aliis exemplis probari posse mihi videtur tum verbis, quae exstant 1345ᵇ 7 sq., cum Pol. 1258ᵇ 12 comparatis. Exempla ipsa ab auctore allata quam non cohaereant cum prooemio illo tenui atque ieiuno, non est, quod moneam, quoniam quaecunque in censum veniunt a peritis talium rerum existimatoribus ea, qua par est, subtilitate perpensa sunt.

Tertio loco qui plerumque in editionibus legitur Oeconomicus, quem Susemihlius, quantum ad argumentum attineat, Aristotelis ingenio nequaquam indignum esse iudicat (l. c. praef. p. XXI) et L. Schmidtius genuinum philosophi Stagiritae opus esse non dubitat existimare (l. c. II, p. 179 sq.), pro singulari libello habendus sit an cum ceteris et quomodo coniungendus adhuc disputatur. Qualis sit condicio libri Susemihlius diligenter exquisivit (praef. XVII—XXI), quem cum alia tum hoc recte vidisse existimo conexum inter hunc libellum et primum illum Oeconomicum Ps.-Aristotelicum, quem tertio quasi continuari non desunt qui contendant, exstare nullum.

Argumentum eius, ut breviter et succincte rem absolvam, hoc est. Matrimonii ab omni parte beati imaginem, quae insi-

---

[74]) De auctore libri quid iudicaverint homines docti (conf. Susemihl l. c. praef. p. XII), repetere supersedeo, cum rem inexplicabilem esse arbitrer et in huius quaestionis obscuritate mihi quoque liquere negem.

det in mente auctoris, ut delineet, priore parte (p. 140—142, 18)[75]), uxori, qua ratione officiis matris familias probae sit fungendum, docet exemplis Alcestae et Penelopae propositis; posteriore parte (p. 142, 19 — 147, 12) ad Ulixem insigne fidei coniugalis specimen delegans, marito ad laudem patris familias boni tendenti quid sit expetendum, quid fugiendum, praecipit. Quod argumentum si mente accuratius perlustraverimus, fugere nos non poterit perpaucis locis exceptis[76]) inesse in hoc libro satis multa, quae rationis Xenophonteae memoriam nobis afferant eiusque vestigiis auctorem institisse ostendant[77]). Cui sententiae illustrandae haec inserviant exempla. Ac primum quidem quae de nimio ornatu muliebri monentur (p. 140, 11 sq.), non aliena sunt a verbis Xenophontis Oec. X, 2 sq.; deinde de pusillis, quae intra parietes fiant, rebus anxium ac sollicitum esse virum non decere et libelli nostri auctori placet (p. 140, 21) et Xenophonti Oec. VII, 3 sq.; tum quantum lucri parentes aetate provecti faciant e liberis bene moratis simili modo a Xenophonte explicatur (Oec. VII, 12) atque ab eo, qui Oeconomicum q. d. tertium conscripsit (p. 143, 3); denique affirmare non dubito quae traduntur praecepta coniugalia ad unum omnia ab ea imagine petita esse, quam Xenophonte duce Ischomachus singulari cum caritate delineavit. Quae vestigia quamvis expressa exstent, tamen multo maior eorum locorum copia mihi videtur esse, quibus facile appareat aetate permulto inferius esse id, de quo agitur, opusculum eis, quibuscum plerumque coniunctum in editionibus legitur. Ut disertius dicam, quid sentiam: non solum sententiarum sed etiam sermonis rationem atque indolem eiusmodi esse contendo, ut eis temporibus libellus assignandus sit, quibus opuscula illa Neopythagoreorum a Stobaeo florileg. LXXXV (vol. III p. 137—153 Mein.) servata videntur orta esse. Haud pauci enim loci reperiuntur, qui mitiorem illam Stoicorum aetate posteriorum rationem

---

[75]) Rosei editione utor, cui titulus est: Aristotelicorum qui ferebantur librorum fragmenta (Lips. 1886).

[76]) Possunt aliquo modo comparari verba, quae exstant p. 142, 8 sq. cum Pol. 1344ᵃ 8 sq. et quae leguntur p. 144, 10 sq. cum 1344ᵃ 12 sq.

[77]) Conf. Vogel l. c. p. 80.

doctrinae Christianae quasi lineamenta indicantem redoleant[78]). Quam in sententiam equidem ea accipienda esse existimo, quae de matrimonio sanctissime reverendo, quippe quod coram deis initum sit, explicantur (p. 143, 23 sq.), aeque atque ea, quae de duplici timoris specie (p. 144, 25 sq.) traduntur. Tantum igitur abest, ut tertius q. d. Oeconomicus cum primo coniunctus sit atque cohaereat, ut pro peculiari libro prorsus ab illo disiuncto habendus sit, quem eundem esse atque librum, qui inscribitur „*νόμοι ἀνδρὸς καὶ γαμετῆς*“ adstipulantibus Susemihlio (praef. ed. p. XXI, hist. litt. Graec. I, 159 not. 831) atque Christio (hist. litt. Graec. p. 417) Roseus ingeniose coniecit[79]).

Hic quaerat quispiam, quo iure in Oeconomicorum numerum libellus noster referatur. Si vero reputaverimus, quid de variis oeconomiae partibus et Xenophon et Aristoteles docuerint quaeque argumenta Stobaeus florilegii capite LXXXV sub titulo „*οἰκονομικός*“ coniunxerit, cuius capitis maiorem partem quaestionibus maritalibus praeceptis illis a Plutarcho traditis haud dissimilibus contineri probe scimus[80]), optimo iure in numerum Oeconomicorum opusculum nostrum lepidissimum adscribi non dubitabimus affirmare.

Sectae Peripateticae asseclae, ut temporis ordinem servemus, quid de arte oeconomica in universum iudicaverint, ex eis satis cognoscimus, quae Stobaeus *ἐκλογῶν ἠθικῶν* capite sexto septimoque (vol. II, 91—95 ed. Mein.) Didymum Arium secutus, quae est eorum, quos posse iudicare arbitror, sententia, brevi in conspectu posuit. Quod argumentum cum eiusmodi sit, ut sectae conditoris celeberrimi vestigia nusquam non appareant, paucis rem me absoluturum esse spero. Ac de primordiis quidem civitatis a domo sive familia repetendis eadem fere ratione disputatur atque ab Aristotele ipso, eodem

---

[78]) Conf. Zeller l. c. III. 1, 247 et Wetzsteinii commentationem, cui titulus est: die wandlung der stoischen lehre unter ihren späteren vertretern, progr. Neostrelic. (1898) part. II, 17 sq.

[79]) Aristot. pseudepigr. p. 180 sq., de Aristot. libr. ord. p. 61.

[80]) Conf. huius dissert. p. 48 sq.

plerumque verborum ordine servato; conf. Stob. l. c. p. 91, 24 sq. cum Pol. 1252^{a} 26 sq. et 1260^{b} 8 sq. Neque Aristotelis scrinia non compilavit quicunque de variis reipublicae formis disseruit cum rationibus eis comparatis, quae inter singulas familiae personas intercedunt; conf. Stob. l. c. p. 92 cum Pol. 1259^{b} 10 et 1260^{a} 9 sq.[81]). Deinde ut ex eis, quae de generatione generisque humani stabilitate (*τῇ τοῦ γένους διαμονῇ*) dicuntur, haud difficulter magistri placita agnoscuntur, ita simili atque apud Aristotelem modo (1254^{a} 14 sq.) de servis agitur discriminis illius, quod est inter servos *φύσει* et *νόμῳ*, ratione habita. Praeterea quod scriptum legimus dominationem domesticam penes maritum esse debere, utpote qui *οἰκονομικῇ φρονήσει* praeditus sit (p. 92, 16 sq.), id Aristoteli quoque persuasum esse (conf. 1254^{b} 13, 1260^{a} 12 sq.) nemo est, qui nesciat. Denique patrem familias multarum rerum velut *γεωργίας, προβατείας, μεταλλείας* peritum esse debere, ut officiis rite fungatur[82]), imprimis [redacted] eis, quae spectent ad quaestum faciendum, qui quidem honestus sit ac liberalis, eum in modum explicatur, ut Stobaei verba a verbis Aristotelis ipsius admodum nihil differant. Sed satis de his; quae sequuntur (l. c. p. 93, 5 sq.) quoniam ad solam politicam artem spectant, non est, cur amplius hanc libelli partem respiciamus.

Neque vero in solis Peripateticorum placitis percipiendis Stobaeo auctore locupleti et copioso utimur, sed etiam ad Stoicorum decreta accuratius cognoscenda cum fructu ex eodem fonte haurimus[83]).

Qui philosophi cum id ante omnia agerent, ut ad vitam recte instituendam agendique cum domi tum foris normas intentionem omnem dirigerent, fieri non potuit, ut quaecunque ad artem oeconomicam spectarent, a se aliena esse censerent[84]). Quam rem ita se habere Laertius Diogenes[85]) sescentis locis

---

[81]) Vide Zeller l. c. II. 2, 689 not. 1.

[82]) Conf., ut quanta sit sententiarum verborumque similitudo cognoscas, Stob. l. c. p. 92, 1 cum Pol. 1258^{b} 8 sq.

[83]) Conf. Susemihl h. l. Gr. I, 48—87.

[84]) Conf. Zeller l. c. III. 1, 189 sq., 272 sq.

[85]) Conf. e. gr. VII, 19 sq.

testatur, qui moralem philosophiam summa cum industria a Stoicis excultam esse memoriae prodit.

Et ad oeconomicam quidem artem quantum attinet, haec placita eorum videntur fuisse.

Ars oeconomica in dispositione circa sumptus, opera, rem familiarem sive opes et in eorum, qui ruri opus faciunt, cura versatur[86]). Quae ars quanto in honore sit, evidenter et dilucide verbis huic definitioni proxime antecedentibus comprobatur, e quibus solum sapientem oeconomum bonum esse et rei familiaris administrandae gnarum et quaestus faciendi peritum intellegitur. Artem oeconomicam ipsam et contemplativam esse Stoici docent et activam circa eas res, quae ad rem familiarem augendam conferant. Quae ars et *χρηματιστική* quam arte inter se conexae et aptae eis videantur esse, quas notiones ipse Aristoteles, modo quaestus sit honestus, communi quasi vinculo quodam coniunctas esse perhibet, ex interpretatione vocis „*χρηματιστική*“ sequitur. Placet enim Stoicis hanc artem versari in facultatibus ex eis, quae cuique opus sint, parandis atque, qui est omnium consensus, in opibus colligendis, custodiendis, ad vitam vitalem adhibendis. Licet in dubio relinquendum sit, utrum ars quaestus faciendi media (*μέση*) an urbana (*ἀστεία*) sit existimanda, solum sapientem aptum esse arbitrantur ad quaestum honeste faciendum, quippe qui solus unde, quando, qua ratione, quatenus quaestus sit faciendus, probe cognoverit. Quibus placitis ad rem domesticam ac familiarem spectantibus reliqua sectae Stoicae placita ad amussim fere respondent. Satis enim multi reperiuntur loci, quibus *τὸν νοῦν ἀσχολεῖσθαι περὶ τὴν διάθεσιν τῆς χρείας*[87]) viro sapienti neutiquam indignum iudicari eisque rebus, quae extrinsecus sunt, licet in rebus in confinio bonorum et malorum sitis (*ἐν ἀδιαφόροις*) numerentur, tamen aliquod pretium a Stoicis tribui appareat; tantumque abest, ut Stoici, quae est Cynicorum opinio, rem familiarem, opes, uxorem, liberos res spernendas ac neglegendas esse censeant, ut a philosopho, ut-

[86]) Stobaeus ecl. ethic. II, 6, 188 sq. (vol. II p. 51 ed. Mein.).
[87]) Laert. Diog. VII, 123.

pote sociali per naturam animali atque actione gaudente (Laert. Diog. ibid.), eas res non alienas esse existiment, quibus homo sapiens non prohibeatur, quominus ad eum, quem sibi proposuit vitae finem, ad *εὐδαιμονίαν* perveniat.

Ceterum quid de re domestica Stoicorum principes sentiant, ex ipsius Zenonis verbis intellegitur, quae Laertius Diog. respicit, cum ait (l. c.): *καὶ γαμήσειν (τὸν σοφόν), ὡς ὁ Ζήνων φησὶν ἐν Πολιτείᾳ, καὶ παιδοποιήσεσθαι,* quae sententia accuratius explicata apud Stobaeum exstat ecl. ethic. II, 6, (186) (p. 51 ed. Mein.). Neque a re erit Zenonis verbis Antipatri Tarseni, philosophi eidem sectae adscripti[88]), dictum addere, quod ab eodem Stobaeo flor. LXVII, 25 (vol. III p. 11 sq. ed. Mein.) memoriae proditur: *τέλειος οἶκος καὶ βίος οὐκ ἄλλως δύναται γενέσθαι ἢ μετὰ γυναικὸς καὶ τέκνων.*

Iam vero quod Zellerus[89]) ait Stoicos posterioris quidem aevi adamavisse philosophandi rationem vel ad simplicissimas vitae condiciones accommodare haud scio an nullius exemplo luculentius confirmetur quam Musonii Rufi[90]), quem imperatoribus Nerone et Vespasiano Romae philosophiam non sine laude professum esse constat[91]). Qui fidelissimus disciplinae Stoicae interpres quam animo suo informaverit sententiam de re domestica administranda, optime ex eis elucet, quae Stobaeus floril. LXXXV, 20 (vol. III p. 147 ed. Mein.) de supellectile (*περὶ σκευῶν*) eum docentem facit. Cuius commentationis argumentum hoc fere est.

Omni luxuriae genere necessarium vitae usum mediocritatemque transeunte utpote supervacuo et futtili reprehenso eam supellectilem, quae et facillime comparari et optime adhiberi et commodissime servari possit, eligendam, quae secus comparata sit, spernendam esse contendit. Quam sententiam postquam exemplis nonnullis ab usu vitae petitis illustravit, nisi

---

88) Conf. Susemihl, hist. lit. Gr. I, 84.

89) l. c. III. 1, 254 sq.

90) Ne quae, quippe unius quasi corporis membra, iungenda sunt, seiungantur, Stoicae sectae antistites Musonius sequitur, qui ex eodem grege se esse profitetur.

91) Zeller l. c. III. 1, 652 sq.

ignorantia non fieri asseverat, ut vulgus, quae pretiosa atque sumptuosa sint, sectetur eisque, quae mediocria sint et vilia, anteferat. Verba illa legenti cui non in mentem veniunt quae de *ἀγνοίᾳ*, malorum omnium stirpe, Stoici Cynicorum exemplar secuti docuerunt[92])? Quibus praeceptis quo maius pondus afferat auctor, ad simplicitatem atque sinceritatem aetatis Lycurgeae aequales suos delegat, qua nulla opibus aut dignitate magis floruerit. Cuius saeculi mores ut imitandos proponit, ita omne luxuriae genus fugiendum esse censet, quippe e qua non solum intemperantia sed etiam iniustitia et ignavia nascantur vitiorumque innumerabilis series; quibus vitiis qui obnoxius sit, eum neque eis officiis, quae deis praestare debeat, neque eis, quae cives, amici, respublica ab eo exigant, fungi posse. Quae placita praeceptis eis, quae Xenophon tradit, haud dissimilia[93]) si animo nobiscum reputaverimus, facere non poterimus, quin Zellero l. c. III. 1, 658 assentiamur, qui Musonium morum simplicitatis adeo studiosum esse ait, ut ad Cynicae sectae rationes proxime accedere videatur.

Hic continuo subiungendum est studiorum ab Epicureis in arte oeconomica collocatorum iudicium, quamquam verum est disciplinas Epicuri et Zenonis, diversis quasi itineribus ad *σκοπόν* pervenire temptantium, inter se admodum contrarias esse. Sed in maxima varietate paria fere studia, quod attinet ad philosophiam moralem, eas excitasse probe scimus[94]).

Sectae Epicureae conditor ipse dogmatum suorum vim auctoritatemque in ipsis dogmatis inesse ratus, quamvis a subtiliore atque accuratiore argumentandi ratione abhorruisse videatur, tamen in contubernio Epicureorum tanta auctoritate usus est, ut fundamenta doctrinae magistri auspiciis iacta ab asseclis eius *τῶν δογμάτων μεμνημένοις* immutata fere non

---

[92]) Conf. Stob. ecl. ethic. II, 6, 122 sq., (vol. II p. 85 sq. ed. Mein.) Laert. Diog. VII, 98.

[93]) Vide huius dissert. p. 17.

[94]) Conf. quae de hac re rectissime monuit H. Sauppius in commentatione: Philodemi de vitiis lib. X (Lips. 1858) progr. gymn. Vimarani, p. 4 sq.

sint[95]). Cuius doctrinae qualia sint extrema quasi lineamenta, Laertius Diogenes nos docet. Sed ad quaestionem nobis propositam quod attinet, non magis κύριαι illae δόξαι[96]), moralis doctrinae epitome, respiciendae sunt quam epistula ea, quae tertio inter huius generis reliquias loco servatur (l. c. 122—135). Qua epistula ad Menoeceum data, quamquam artis oeconomicae ipsius disertis verbis ab auctore eius mentio non fit, tamen non indigna est, cuius rationem habeamus, cum praecepta in ea insint oeconomo bono nequaquam negligenda.

Atque in universum quidem non voluptates luxuriosorum hominum easque, quae in sensibus delectandis positae sint, finem vitae esse auctor iudicat (131), sed non dolere corpore, perturbatione vacare, tranquillum esse; neque eos, qui ventris voluptates sequantur, edendo, potando, Veneris illecebris tempus fallentes, vitam beatam ac vitalem vivere, sed qui sobria potius ratione causas, cur quaeque aut eligenda aut fugienda sint, perscrutentur. Ut autem bonorum caput atque principium prudentiam (φρόνησιν) esse ei persuasum est, ita iucunde vivere posse negat quemquam, nisi idem prudenter et honeste vivat[97]). Atque prudentia cum ratione et intelligentia coniuncta quam necessaria sit oeconomo bono, quippe penes quem omnis rei domesticae administratio sit, quis est, qui nesciat?

Neque a re erit ea apponere verba, quae e Diogenis, philosophi cognominis, Electis Laertius citat (l. c. 120), qui minime dedecere sapientem censet opibus temporive futuro providere, cum dicit: τὸν σοφὸν καὶ κτήσεως προνοήσεσθαι καὶ τοῦ μέλλοντος e. q. s., quae verba sectae Epicureae asseclas rem domesticam a se alienam non putasse manifesto ostendunt, quamquam, quae est Sauppii l. c. p. 5 sententia, negotia publica et tumultus civitatis animos eorum adeo non allexisse videntur, ut Epicureorum quoque res nos doceant sensum illum, quo suam salutem publica contineri atque ita demum, ut partem aliquam civitatis efficerent, se existere singuli existimarent, iam pridem exolevisse et intermortuum esse.

---

[95]) Vide Zeller l. c. III. 1, 354 sq.
[96]) l. c. X, 139—154.
[97]) Laert. Diog. l. c. 140, Cicero de fin. I, 18, 57.

Reliqua Epicureorum placita moralia, cum ad eam, quam nobis proposuimus, quaestionem nihil fere conferant, ad eum transimus scholae Epicureae sectatorem, quem diligenter et subtiliter de rebus oeconomicis egisse Philodemus περὶ κακιῶν l. IX, col. XXVII (Goettl. p. 64) testis est, Metrodorum dico Lampsacenum, paene alterum illum Epicurum. Neque cuiquam librorum philosophi titulos a Laertio Diog. (X, 24) servatos perlustranti dubium esse potest, quin solus 'de divitiis' tractatus in censum veniat[88]). Quod cum per se satis patet, tum Philodemi ad librum illum delegantis (l. c. col. XXII) auctoritate confirmatur. Qui locus quamquam lacunose mutileque se habet, tamen postquam Schoemannus emendatrices manus vitiis tollendis admovit, quid sibi voluerit auctor, coniciendo nos posse consequi non desperandum esse existimo. Ut dicam, quae mea sit sententia: Metrodorum, ut Cynicorum, philosophorum a divitiis opibusve animo alienissimorum, rationes refutaret, docuisse suspicor tantum abesse, ut homini sapienti divitiae sollicitudinem afferant, ut rei familiaris cura et administratio vitam iucundissimam et beatissimam reddat. Quoniam autem alterius quoque Epicuri chartas aetas nobis invidit, in coniectura quidquid de eo iudicetur positum sit necesse est.

Sed ex parte detrimentum, quod in ea re cepimus, libello resarcitur Philodemi Gadarensis, philosophi Epicurei, in ruderibus Herculanei oppidi reperto, cui titulus est: περὶ κακιῶν καὶ τῶν· ἀντικειμένων ἀρετῶν ἐν οἷς εἰσι καὶ περὶ ᾱ. Cuius voluminis ab auctore prorsus experti elegantiae confecti condicio quamvis tristis sit et iniqua — quotiens in papyro illa misere semiustulata et in cinerem prope conversa sententiae lacunis ingentibus interceptae nobis occurrunt, quotiens in verba foliorum Sibyllae instar subobscura sive potius in litteras ad intellegendum non apertas incidimus! —, tamen qualia fuerint sectae Epicureae placita ad oeconomicam quidem artem spectan-

[88]) Num eiusdem philosophi singularis περὶ οἰκονομίας libellus exstiterit, ipse Dueningius, qui titulum illum investigando repperisse sibi videtur (de Metrodori Epicurei vita et scriptis p. 21), in dubio relinquendum esse censet; conf. Susemihl, hist. litt. Graec. 1, 99 not. 449.

tia, qualecunque de auctore libelli iudicium facimus[99]), *μέχρι μικροτέρων* (col. XXVII, Goettl. p. 64) coniectura aliquo modo assequi possumus.

Voluminis a Philodemo confecti argumentum quale sit, enarrare longum est, quoniam Fr. Javaronius textum q. d. praefatione commentarii perpetui instar ornavit[100]) locisque difficilioribus et explicandis et illustrandis Goettlingius l. c. p. 187 sq., Schoemannus[101]), Spengelius[102]) ita operam navaverunt, ut, quantum quidem fieri possit, textus egregie videatur restauratus esse. Quae cum ita sint, equidem qua philosophandi ratione libelli auctor usus sit, satis habeo paucis perstringere.

Duabus ex partibus Philodemi libellus constat, quarum priore (col. I—VII) primum in Xenophontis Oeconomicum inquiritur, deinde de Theophrasti sive personati Aristotelis libro (col. VII —XI) censura fit atque ita quidem, ut adversariorum opiniones argumentis tritis, vulgaribus, absurdis impugnentur; posteriore parte (col. XII sq.), quae sit auctoris ipsius vera sententia, explicatur. Quae pars quamquam maioris pretii est quam prior illa, id quod per se patet, tamen ne haec quidem indigna videtur esse, in qua cognoscenda studium ponamus, quoniam ex eis quoque, quae ipsi artem criticam exercenti non probabilia videntur, vera eius sententia apparet.

Ac primum quidem Xenophonti oeconomum non solum suam ipsius rem familiarem sed etiam alienam bene administrare debere contendenti, cum oeconomiam a philosopho non rem ordinariam sed quasi subsicivam quandam existimari velit[103]), obloquitur, cum dicit oeconomi nomine neminem dignum esse nisi qui suam ipsius rem domesticam ita administrare noverit,

[99]) Conf. Sauppium l. c. p. 4, cuius sententiam Hartungius, translat. (Lips. 1857) p. 5, impugnat.

[100]) Vide editionem Goettlingii p. 151 sq.

[101]) Opusc. acad. III p. 238 sq.

[102]) In commentatione, quae inscribitur: Aristotelische studien III, zur politik u. ökonomik, inserta vol. XI ser. III (p. 124 sq.) Act. acad. reg. Bavaricae (Monach. 1868), qua coll. VII—XII repetitis curis eduntur et examinantur.

[103]) Vide quae Hartungius translat. p. 36 adnotat ad col. XII, 24 (Goettl. p. 49).

id quod ad cognoscendam veram philosophi Epicurei sententiam plurimum confert, ut bene atque beate vivat. Deinde disertis verbis ab arte oeconomica, quae in sola acquisitione et custodia opum versatur (col. XII, 14 sq.), distinguitur ars quaestus faciendi (χρηματιστική), quam ad cumulandas dumtaxat divitias spectantem in numerum ἀδιαφόρων referendam esse censet. Neque vero cum Xenophonte, quem probe scimus uxoris in administranda re familiari industriam non diversam a mariti existimare sed ἰσόρροπον (Oec. III, 15), idem sentit Philodemus. Is enim, en fidissimus doctrinae Epicureae interpres, uxorem neque necessariam neque utilem esse non dubitat affirmare. Quod iudicium ne admirationem moveat, non vereor, cum alia quoque Xenophontis praecepta permulta ad res domesticas ex ordine dispensandas spectantia, quasi philosophi καθ' ὕπνον δοξαζομένου placita, ut vana et superflua ab illo derideantur. Cum autem beatam vitam etiam sine uxore vivi posse sibi persuaserit, ea quoque, quae Aristoteles personatus de matrimonio liberorumque procreatione exponit, ut inepta et puerilia ab eo deluduntur. Subtiliorem vero in quaestionem vocatur, quomodo homo sapiens oeconomiam subsicivis studiis colens divitias et possidere et custodire debeat, cum, quae est sententia eius, oeconomus nemo dici possit, qui divitias, ipsas dumtaxat incommoda inutilia non afferentes (l. c. col. XIV, 7 sq.), sponte abiciat; quibus, modo ne haereat in animo invidia insatiabilis, desiderium inexplebile, anxietas perpetua, tantum abest, ut sapientis vita ulla afficiatur molestia, ut serena fiat ac tranquilla. Neque enim philosophus divitiis totum ita se tradet, ut, tempora si fuerint nubila, de salute ei desperandum sit; immo a nimio accumulandi opes studio alienus paucis erit contentus et in tenui pauperculoque victu acquiescet, cum naturam ipsam paucis contentam esse non ignoret (l. c. col. XVI, 1 sq.). Atque magistri praecepta[104]) quam diligenter et religiose Philodemus respexerit, ea verba docent, quibus de usu ex amicis in oeconomiam redundante agitur. Fideles enim amicos et optimos et certissimos bonorum custodes esse ait (l. c. col.

[104]) Laert. Diog. X, 148.

XXIII, 12 sq.) beneficia in probos amicos collata fructuosiorem possessionem esse existimans quam agrum bene cultum. Quo fit, ut amicis plurimum auctoritatis tribuat et consilia eorum in procuratoribus et famulis eligendis aliisque negotiis gerendis audienda esse censeat (l. c. col. XXVI: 5 sq.).

Haec habui de Philodemi libello quae dicerem; eos enim locos, quibus de arte quaestus faciendi fuse lateque disputatur, cum plane alieni sint ab huius disputationis instituto, omitto.

Sed quoniam in harum rerum explicatione satis copiosus fuisse mihi videor, nunciam quid de arte oeconomica ei philosophi iudicaverint, anquirere in animo habeo, qui certae sectae nulli addicti ex decretis eis temporibus, in quae aetas eorum incidit, fixis ratisque, quidquid iudicio arbitrioque commodissimum videretur (*τὰ ἀρέσκοντα ἐξ ἑκάστης τῶν αἱρέσεων*)[105]), elegerunt.

Inter eos autem, qui cum universam philosophiam tum singulas eius partes eclecticam rationem secuti tractaverunt, Didymus Arius qui nominetur propterea maxime dignus est, quia Stobaeus, quae est Meinekii haud vana coniectura[106]), totam de morali Stoicorum et Peripateticorum doctrina disputationem ex satis amplo opere, quo Didymus universam Graecorum philosophiam explicaverat, videtur duxisse[107]).

Qui quam fideliter, quod ad artem oeconomicam attinet, Aristotelem secutus sit, licet terminis Stoicae doctrinae technicis inhaereat, ex eis, quae supra de Peripateticorum placitis Stobaei eclogis insertis disputavimus, satis intellegi potest.

Atque in numero eorum philosophorum, qui non uni sectae addicti erant, etiam Dio Prusaensis, qui vocatur Chrysostomus, habendus est, homo Graecarum litterarum et studiorum amantissimus et peritissimus, quem Schoemannus opusc. acad. III, 208 adn. 9 auctorem Oeconomici illius esse acute et ingeniose coniecit, e quo fragmenta nonnulla Stobaeus excerpsit.

---

[105]) Laert. Diog. prooem. 21.

[106]) Adnot. critica ad Stobaei physica et ethica vol. II, p. CLV.

[107]) Copiosius de Didymo Mullachius disputat fr. phil. Gr. II p. L sq.

Cui coniecturae haud quaquam contemnendae[108]) nescio an fides eo concilietur, quod et Dionis veri orationes Cynicam sapientiam produnt et fragmenta illa a Stobaeo servata auctorem sectae illius ratione et indole instructum esse suspicionem movent[109]). Sed spinosa haec est quaestio difficiliorque, quam ut paucis possit diiudicari, cum et fragmenta illa pauca tam brevia sint, ut longior sententiarum series fere non oriatur et philosophus ille adeo non utatur suo in quaestionibus philosophicis iudicio, ut sequatur sententias communi fere omnium illius aetatis hominum eruditorum sensu probatas[110]).

Ac primo quidem fragmento (Stob. flor. XLII, 12, vol. II, 78 ed. Mein.) rem domesticam maxima incrementa capere auctor asserit poena pro calumniis criminibusve falsis rite sumpta; qua in re haud scio an cogitandum sit de obtrectationibus adversus maritos a mulieribus malevolis proficiscentibus[111]); altero (Stob. LXII, 46; vol. II, 366 ed. Mein.), quo vilicos (*ἐπιτρόπους*), ut operariis a laboribus continuis respirationem dent, adhortatur, quo facilius opus exigant, egregium humanitatis specimen dat, non immemor praecepti illius, quod exstat in Oeconomico Xenophontis (XIII, 10) cum Aristotelis personati (1344^b 7) sententia quodammodo concinentis; tertio (l. c. LXXIV, 59; vol. III p. 62 ed. Mein.) in uxoris erga maritum amore sanctitatem mulieris positam esse contendit; quarto (ibid. 60) assiduum effusumque risum hominem decere negans lacrimas vultui decori maiori esse affirmat quam risum, quoniam flendo homo improbus ad scelus admittendum non excitetur, ridendo spes eius

---

108) Alia est sententia L. Dindorfii, Dionis orat. praef. p. V, qui utrum Chrysostomi an alius Dionis sit Oeconomicus, in dubio relinquendum esse censet. J. de Arnim, qui novam Dionis editionem paravit (Berol. 1893), quid de auctore fragmentorum iudicet, nescio, cum alterum volumen, quo quaecunque ad Dionis vitam et scripta pertineant pertractare in animo ei est (vide prol. XXXVIII), adhuc desideretur.

109) Conf. E. Weber, de Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore. diss. inaug. Lips. 1887 p. 85 sq.

110) Conf. Zeller l. c. III. 1, 729.

111) Conf. Plutarch. coniug. praecept. 40, vol. 1 p. 351 ed. Bern.

augeatur. Porro quod cum pudore[112]) *σωφροσύνην* gignere[113]) ait (l. c. LXXXV, 12; vol. III p. 138 ed. Mein.) — quid gignat prudentia, auctor reticet —, eas dicit virtutes, quae invicem natura consequentes ex illa ortae esse existimandae sunt. Cui loco haud scio an lumen afferatur verbis illis Ischomachi (Xenoph. Oec. VIII, 1), quomodo administrationis ac dispositionis rerum domesticarum praestantiam uxori demonstraverit, narrantis: *καὶ δηχθεῖσάν γε αὐτὴν οἶδα καὶ ἐρυθριάσασαν σφόδρα, ὅτι οὐκ εἶχέ μοι δοῦναι*[114]). Postremo (ibid. 13) necessitate partum fieri, ex amore educationem proficisci asserit.

Quamquam autem e reliquis Dionis operibus efficere possumus eum et in Cynica Stoicaque doctrina versatum esse (conf. E. Weber l. c. p. 82 sq.) et e Socraticis praecipue Xenophontem suspexisse, cuius suavitatem et nativam simplicitatem in dicendo eum prospere imitando effinxisse et expressisse constat, tamen rem incertam iniudicatam relinquam, quoniam ex eis, quae attuli, fragmentis parvulis ac levibus coniectando nullo modo assequi possumus, qualis philosophandi ratio universa auctoris fuerit.

Neque praetereundus est hoc loco Alcinous, auctor tractatus, cui titulus est *εἰσαγωγή* sive *διδασκαλικὸς τῶν Πλάτωνος δογμάτων*[115]), ad cognoscenda Platonis placita philosophica quae necessaria videantur esse, continentis. Qui quamvis ipse Platonicum se profiteatur, Peripateticorum more[116])

---

[112]) Quod Stephanus vocem „*δυσώπημα*" significatione ea, qua remedii vox usurpetur, loco nostro dictam sibi videri ait (thes. Gr. ling. s. v.), quid sibi velit, me ignorare fateor.

[113]) Activa significatione ex communi verborum usu vocem „*τέκνωσις*" accipiendam esse censeo.

[114]) Neque a re videtur esse, ut huic dicto ob brachylogiam obscuriori lux affundatur, conferre quae Rueckertus noster canit in libro qui inscribitur: weisheit des brahmanen (poët. werke VIII, 162): „von allen tugenden ist scham genannt mit recht die mutter; keine hat so blühend ein geschlecht, die tugendmutter . . . sie ehre!"; de matre virtutum quae fuerint philosophorum Graecorum sententiae, e Neandri ad Nili episcopi praecept. 186 adnotatione intelligitur; conf. Orelli. op. Gr. vet. sentent. I, 648 sq.

[115]) Platonis dialogi ed. C. F. Hermann vol. VI, 152 sq.

[116]) Conf. Laert. Diog. V, 28.

philosophiam practicam tripartito in ethicam, oeconomicam, politicam dividi vult. Oeconomicae artis ipsius, cum multus sit in praeceptis ad ethicam et politicam spectantibus, ne uno quidem verbo mentionem facit.

Sed verendum est, ne conspectus, quem de philosophorum Graecorum studiis oeconomicis dare animum induximus, non integer existat, si Plutarchi Chaeronensis, philosophi Xenophontis, Platonis, Aristotelis dogmatis initiati, mentionem non fecerimus, cuius Coniugalia praecepta[117]) ad artem oeconomicam illustrandam maximi momenti ac ponderis esse nemo est, qui infitietur. Cum vero, quae est Plutarchi disputandi ratio, ordo certus in praeceptis dandis non servetur, argumentum grave rerumque plenum ita respiciendum esse existimo, ut eis, quibus par est, locis, quae intercedat Plutarcho cum scriptoribus de eadem re disserentibus similitudo, commemorem[118]).

Restat, ut de eis libellis, quantum ex re est, agamus, qui Pythagoreorum antiquissimorum nominibus addicti florilegioque (LXXXV) a Stobaeo inserti ad nostram usque aetatem pervenerunt[119]). Tantum autem abest, ut fragmenta illa Dorico sermone conscripta, de quorum origine, fide, auctoritate vetus est controversia — auctores eorum aut primo saeculo ante Chr. aut primo post eum fuisse verisimile est —, rationem atque naturam sapiant doctrinae vere Pythagoricae, quippe quae tam seris temporibus parum cognita sit, ut veritatum communium quasi corpus quoddam efficiant, quibus rationes ethicae Academicorum, Peripateticorum, Stoicorum symbolico Pythago-

[117]) Plut. moral. vol. I, 387 sq. ed. Bern.
[118]) Conf. huius dissert. p. 31, 41, 45, 47, 48.
[119]) Conf. Orelli, opusc. Graec. vet. sentent. II, 281—361, Mullach, fr. phil. Gr. II, 9—37. Diligentissime de hac re disputavit F. Beckmannus in quaestionum de Pythagoreorum reliquiis parte priore (Berol. 1844). Praecepta ea, quorum mentionem facit Iamblichus de Pyth. vita IX. 47, XVII, 72, XXI, 100, XXX, 168, aliis locis multis, cum aut ad privatam magistri oeconomiam vitaeque rationem aut ad officia consortii Pythagoreorum discipulis solis exsequenda spectent, ad oeconomiae universalis rationem illustrandam nullius fere momenti existimanda esse iudico.

sint[95]). Cuius doctrinae qualia sint extrema quasi lineamenta, Laertius Diogenes nos docet. Sed ad quaestionem nobis propositam quod attinet, non magis *κύριαι* illae *δόξαι*[96]), moralis doctrinae epitome, respiciendae sunt quam epistula ea, quae tertio inter huius generis reliquias loco servatur (l. c. 122—135). Qua epistula ad Menoeceum data, quamquam artis oeconomicae ipsius disertis verbis ab auctore eius mentio non fit, tamen non indigna est, cuius rationem habeamus, cum praecepta in ea insint oeconomo bono nequaquam negligenda.

Atque in universum quidem non voluptates luxuriosorum hominum easque, quae in sensibus delectandis positae sint, finem vitae esse auctor indicat (131), sed non dolere corpore, perturbatione vacare, tranquillum esse; neque eos, qui ventris voluptates sequantur, edendo, potando, Veneris illecebris tempus fallentes, vitam beatam ac vitalem vivere, sed qui sobria potius ratione causas, cur quaeque aut eligenda aut fugienda sint, perscrutentur. Ut autem bonorum caput atque principium prudentiam (*φρόνησιν*) esse ei persuasum est, ita iucunde vivere posse negat quemquam, nisi idem prudenter et honeste vivat[97]). Atque prudentia cum ratione et intelligentia coniuncta quam necessaria sit oeconomo bono, quippe penes quem omnis rei domesticae administratio sit, quis est, qui nesciat?

Neque a re erit ea apponere verba, quae e Diogenis, philosophi cognominis, Electis Laertius citat (l. c. 120), qui minime dedecere sapiéntem censet opibus temporive futuro providere, cum dicit: *τὸν σοφὸν καὶ κτήσεως προνοήσεσθαι καὶ τοῦ μέλλοντος* e. q. s., quae verba sectae Epicureae asseclas rem domesticam a se alienam non putasse manifesto ostendunt, quamquam, quae est Sauppii l. c. p. 5 sententia, negotia publica et tumultus civitatis animos eorum adeo non allexisse videntur, ut Epicureorum quoque res nos doceant sensum illum, quo suam salutem publica contineri atque ita demum, ut partem aliquam civitatis efficerent, se existere singuli existimarent, iam pridem exolevisse et intermortuum esse.

---

[95]) Vide Zeller l. c. III. 1, 854 sq.

[96]) l. c. X, 139—154.

[97]) Laert. Diog. l. c. 140, Cicero de fin. I, 18, 57.

Reliqua Epicureorum placita moralia, cum ad eam, quam nobis proposuimus, quaestionem nihil fere conferant, ad eum transimus scholae Epicureae sectatorem, quem diligenter et subtiliter de rebus oeconomicis egisse Philodemus περὶ κακιῶν l. IX, col. XXVII (Goettl. p. 64) testis est, Metrodorum dico Lampsacenum, paene alterum illum Epicurum. Neque cuiquam librorum philosophi titulos a Laertio Diog. (X, 24) servatos perlustranti dubium esse potest, quin solus 'de divitiis' tractatus in censum veniat[98]). Quod cum per se satis patet, tum Philodemi ad librum illum delegantis (l. c. col. XXII) auctoritate confirmatur. Qui locus quamquam lacunose mutileque se habet, tamen postquam Schoemannus emendatrices manus vitiis tollendis admovit, quid sibi voluerit auctor, coniciendo nos posse consequi non desperandum esse existimo. Ut dicam, quae mea sit sententia: Metrodorum, ut Cynicorum, philosophorum a divitiis opibusve animo alienissimorum, rationes refutaret, docuisse suspicor tantum abesse, ut homini sapienti divitiae sollicitudinem afferant, ut rei familiaris cura et administratio vitam iucundissimam et beatissimam reddat. Quoniam autem alterius quoque Epicuri chartas aetas nobis invidit, in coniectura quidquid de eo iudicetur positum sit necesse est.

Sed ex parte detrimentum, quod in ea re cepimus, libello resarcitur Philodemi Gadarensis, philosophi Epicurei, in ruderibus Herculanei oppidi reperto, cui titulus est: περὶ κακιῶν καὶ τῶν· ἀντικειμένων ἀρετῶν ἐν οἷς εἰσι καὶ περὶ ἅ. Cuius voluminis ab auctore prorsus experti elegantiae confecti condicio quamvis tristis sit et iniqua — quotiens in papyro illa misere semiustulata et in cinerem prope conversa sententiae lacunis ingentibus interceptae nobis occurrunt, quotiens in verba foliorum Sibyllae instar subobscura sive potius in litteras ad intellegendum non apertas incidimus! —, tamen qualia fuerint sectae Epicureae placita ad oeconomicam quidem artem spectan-

[98]) Num eiusdem philosophi singularis περὶ οἰκονομίας libellus exstiterit, ipse Dueningius, qui titulum illum investigando repperisse sibi videtur (de Metrodori Epicurei vita et scriptis p. 21), in dubio relinquendum esse censet; conf. Susemihl, hist. litt. Graec. 1, 99 not. 449.

tia, qualecunque de auctore libelli iudicium facimus[99]), μέχρι μικροτέρων (col. XXVII, Goettl. p. 64) coniectura aliquo modo assequi possumus.

Voluminis a Philodemo confecti argumentum quale sit, enarrare longum est, quoniam Fr. Javaronius textum q. d. praefatione commentarii perpetui instar ornavit[100]) locisque difficilioribus et explicandis et illustrandis Goettlingius l. c. p. 187 sq., Schoemannus[101]), Spengelius[102]) ita operam navaverunt, ut, quantum quidem fieri possit, textus egregie videatur restauratus esse. Quae cum ita sint, equidem qua philosophandi ratione libelli auctor usus sit, satis habeo paucis perstringere.

Duabus ex partibus Philodemi libellus constat, quarum priore (col. I—VII) primum in Xenophontis Oeconomicum inquiritur, deinde de Theophrasti sive personati Aristotelis libro (col. VII —XI) censura fit atque ita quidem, ut adversariorum opiniones argumentis tritis, vulgaribus, absurdis impugnentur; posteriore parte (col. XII sq.), quae sit auctoris ipsius vera sententia, explicatur. Quae pars quamquam maioris pretii est quam prior illa, id quod per se patet, tamen ne haec quidem indigna videtur esse, in qua cognoscenda studium ponamus, quoniam ex eis quoque, quae ipsi artem criticam exercenti non probabilia videntur, vera eius sententia apparet.

Ac primum quidem Xenophonti oeconomum non solum suam ipsius rem familiarem sed etiam alienam bene administrare debere contendenti, cum oeconomiam a philosopho non rem ordinariam sed quasi subsicivam quandam existimari velit[103]), obloquitur, cum dicit oeconomi nomine neminem dignum esse nisi qui suam ipsius rem domesticam ita administrare noverit,

---

[99]) Conf. Sauppium l. c. p. 4, cuius sententiam Hartungius, translat. (Lips. 1857) p. 5, impugnat.

[100]) Vide editionem Goettlingii p. 151 sq.

[101]) Opusc. acad. III p. 288 sq.

[102]) In commentatione, quae inscribitur: Aristotelische studien III, zur politik u. ökonomik, inserta vol. XI ser. III (p. 124 sq.) Act. acad. reg. Bavaricae (Monach. 1868), qua coll. VII—XII repetitis curis et eduntur et examinantur.

[103]) Vide quae Hartungius translat. p. 36 adnotat ad col. XII, 24 (Goettl. p. 49).

id quod ad cognoscendam veram philosophi Epicurei sententiam plurimum confert, ut bene atque beate vivat. Deinde disertis verbis ab arte oeconomica, quae in sola acquisitione et custodia opum versatur (col. XII, 14 sq.), distinguitur ars quaestus faciendi (χρηματιστική), quam ad cumulandas dumtaxat divitias spectantem in numerum ἀδιαφόρων referendam esse censet. Neque vero cum Xenophonte, quem probe scimus uxoris in administranda re familiari industriam non diversam a mariti existimare sed ἰσόρροπον (Oec. III, 15), idem sentit Philodemus. Is enim, en fidissimus doctrinae Epicureae interpres, uxorem neque necessariam neque utilem esse non dubitat affirmare. Quod iudicium ne admirationem moveat, non vereor, cum alia quoque Xenophontis praecepta permulta ad res domesticas ex ordine dispensandas spectantia, quasi philosophi καθ' ὕπνον δοξαζομένου placita, ut vana et superflua ab illo derideantur. Cum autem beatam vitam etiam sine uxore vivi posse sibi persuaserit, ea quoque, quae Aristoteles personatus de matrimonio liberorumque procreatione exponit, ut inepta et puerilia ab eo deluduntur. Subtiliorem vero in quaestionem vocatur, quomodo homo sapiens oeconomiam subsicivis studiis colens divitias et possidere et custodire debeat, cum, quae est sententia eius, oeconomus nemo dici possit, qui divitias, ipsas dumtaxat incommoda inutilia non afferentes (l. c. col. XIV, 7 sq.), sponte abiciat; quibus, modo ne haereat in animo invidia insatiabilis, desiderium inexplebile, anxietas perpetua, tantum abest, ut sapientis vita ulla afficiatur molestia, ut serena fiat ac tranquilla. Neque enim philosophus divitiis totum ita se tradet, ut, tempora si fuerint nubila, de salute ei desperandum sit; immo a nimio accumulandi opes studio alienus paucis erit contentus et in tenui pauperculoque victu acquiescet, cum naturam ipsam paucis contentam esse non ignoret (l. c. col. XVI, 1 sq.). Atque magistri praecepta[104]) quam diligenter et religiose Philodemus respexerit, ea verba docent, quibus de usu ex amicis in oeconomiam redundante agitur. Fideles enim amicos et optimos et certissimos bonorum custodes esse ait (l. c. col.

[104]) Laert. Diog. X, 148.

XXIII, 12 sq.) beneficia in probos amicos collata fructuosiorem possessionem esse existimans quam agrum bene cultum. Quo fit, ut amicis plurimum auctoritatis tribuat et consilia eorum in procuratoribus et famulis eligendis aliisque negotiis gerendis audienda esse censeat (l. c. col. XXVI: 5 sq.).

Haec habui de Philodemi libello quae dicerem; eos enim locos, quibus de arte quaestus faciendi fuse lateque disputatur, cum plane alieni sint ab huius disputationis instituto, omitto.

Sed quoniam in harum rerum explicatione satis copiosus fuisse mihi videor, nunciam quid de arte oeconomica ei philosophi iudicaverint, anquirere in animo habeo, qui certae sectae nulli addicti ex decretis eis temporibus, in quae aetas eorum incidit, fixis ratisque, quidquid iudicio arbitrioque commodissimum videretur (*τὰ ἀρέσκοντα ἐξ ἑκάστης τῶν αἱρέσεων*)[105]), elegerunt.

Inter eos autem, qui cum universam philosophiam tum singulas eius partes eclecticam rationem secuti tractaverunt, Didymus Arius qui nominetur propterea maxime dignus est, quia Stobaeus, quae est Meinekii haud vana coniectura[106]), totam de morali Stoicorum et Peripateticorum doctrina disputationem ex satis amplo opere, quo Didymus universam Graecorum philosophiam explicaverat, videtur duxisse[107]).

Qui quam fideliter, quod ad artem oeconomicam attinet, Aristotelem secutus sit, licet terminis Stoicae doctrinae technicis inhaereat, ex eis, quae supra de Peripateticorum placitis Stobaei eclogis insertis disputavimus, satis intellegi potest.

Atque in numero eorum philosophorum, qui non uni sectae addicti erant, etiam Dio Prusaensis, qui vocatur Chrysostomus, habendus est, homo Graecarum litterarum et studiorum amantissimus et peritissimus, quem Schoemannus opusc. acad. III, 208 adn. 9 auctorem Oeconomici illius esse acute et ingeniose coniecit, e quo fragmenta nonnulla Stobaeus excerpsit.

---

[105]) Laert. Diog. prooem. 21.

[106]) Adnot. critica ad Stobaei physica et ethica vol. II, p. CLV.

[107]) Copiosius de Didymo Mullachius disputat fr. phil. Gr. II p. L sq.

Cui coniecturae haud quaquam contemnendae[108]) nescio an fides eo concilietur, quod et Dionis veri orationes Cynicam sapientiam produnt et fragmenta illa a Stobaeo servata auctorem sectae illius ratione et indole instructum esse suspicionem movent[109]). Sed spinosa haec est quaestio difficiliorque, quam ut paucis possit diiudicari, cum et fragmenta illa pauca tam brevia sint, ut longior sententiarum series fere non oriatur et philosophus ille adeo non utatur suo in quaestionibus philosophicis iudicio, ut sequatur sententias communi fere omnium illius aetatis hominum eruditorum sensu probatas[110]).

Ac primo quidem fragmento (Stob. flor. XLII, 12, vol. II, 78 ed. Mein.) rem domesticam maxima incrementa capere auctor asserit poena pro calumniis criminibusve falsis rite sumpta; qua in re haud scio an cogitandum sit de obtrectationibus adversus maritos a mulieribus malevolis proficiscentibus[111]); altero (Stob. LXII, 46; vol. II, 366 ed. Mein.), quo vilicos (*ἐπιτρόπους*), ut operariis a laboribus continuis respirationem dent, adhortatur, quo facilius opus exigant, egregium humanitatis specimen dat, non immemor praecepti illius, quod exstat in Oeconomico Xenophontis (XIII, 10) cum Aristotelis personati (1344^b 7) sententia quodammodo concinentis; tertio (l. c. LXXIV, 59; vol. III p. 62 ed. Mein.) in uxoris erga maritum amore sanctitatem mulieris positam esse contendit; quarto (ibid. 60) assiduum effusumque risum hominem decere negans lacrimas vultui decori maiori esse affirmat quam risum, quoniam flendo homo improbus ad scelus admittendum non excitetur, ridendo spes eius

---

108) Alia est sententia L. Dindorfii, Dionis orat. praef. p. V, qui utrum Chrysostomi an alius Dionis sit Oeconomicus, in dubio relinquendum esse censet. J. de Arnim, qui novam Dionis editionem paravit (Berol. 1893), quid de auctore fragmentorum iudicet, nescio, cum alterum volumen, quo quaecunque ad Dionis vitam et scripta pertineant pertractare in animo ei est (vide prol. XXXVIII), adhuc desideretur.

109) Conf. E. Weber, de Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore. diss. inaug. Lips. 1887 p. 85 sq.

110) Conf. Zeller l. c. III. 1, 729.

111) Conf. Plutarch. coniug. praecept. 40, vol. 1 p. 351 ed. Bern.

Scilluntii sententia discrepat, quod, quamquam ipse non negat munera quaedam vili hominum generi destinata a persona ingenui viri aliena esse debere, tamen opinione praeiudicata adeo non ducitur, ut confiteatur, si quis virtutis specimina nihil dubii relinquentia et ab omni reprehensione vacua dederit, non esse, quod ullius negotii eum pudeat, quo exsequendo colligatio atque compages maritalis artior fiat. Neque uxorem, quae una cum famulis officiis et muneribus eis fungatur, quae in mulierem cadant, ullam concipere maculam, sed eo pulchriorem marito videri, quo magis navam et industriam operumque intra domum et extra faciendorum studiosam re praestiterit, liberrime profitetur (conf. Xen. Oec. X, 10 sq.). Dicendi denique ratio Hieroclea et argumentandi, ut paucis rem absolvam, ea est, ut nemini memoria Xenophontis non afferatur, quo nullum antiquitatis auctorem ardentiore studio vitam domesticam rusticamque amplexum esse pro explorato habeo.

Sed de his iam dicendi finis esto; quominus longius progrediamur, philosophiae remotioris seu potius theologiae aenigmatis et allegoriis mysteriorum instar refertae, qualis primis post Chr. n. saeculis agitabatur, indoles et natura ipsa nos impedit[137]).

